This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

HARVARD LAW LIBRARY
3 2044 097 770 333

LIMBERG

Quo jure Lactantius appelletur Cicero Christianus

1896

HARVARD
LAW
LIBRARY

Germany
598

QUO IURE LACTANTIUS APPELLETUR CICERO CHRISTIANUS.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HENRICUS LIMBERG

GUESTFALUS.

BIBLIOTECA LUCCHINI
7624
N.° d'ord.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX OFFICINA SOCIET. TYPOGRAPH. GUESTF.

MDCCCXCVI.

DEC 2 d ...d

PARENTIBUS

SUIS OPTIMIS

SACRUM.

1. Si verum est commentationibus de singulorum scriptorum genere dicendi non solum artem grammaticam adiuvari, sed etiam saepe ad scriptoris condiciones et vitae et animi eruendas operaque illustranda magnum adferri momentum, illud latissime patet in quaestione de Lactantii genere dicendi instituenda. Quod colligi potest vel maxime ex lite quae de auctore libri qui dicitur L. Caecilii de mortibus persecutorum iamdiu exorta nunc de integro animos eruditorum ita excitavit, ut sententia alterius alteri prorsus contraria esse videatur. Nam, quoniam ex verbis Lactantii ipsis non multum conferri potest quod ad illam quaestionem dissolvendam valeat, etiam in genus dicendi et Lactantii et auctoris eius libri, de quo certamen fit, inquisitum est. Quinam est eventns illius inquisitionis? Mirum profecto videtur, quod ad defendendam suam utraque pars sententiam praeter alias rationes illud argumentum profert quod ex genere dicendi erui posse existimet: alii illum librum simile dicendi genus prae se ferre contendunt, alii propter hoc ipsum ab eo prorsus abiudicandum esse censent. Qua ex re cognoscitur quaestionem de genere dicendi Lactantiano nondum absolutam esse. Itaque hanc quaestionem de integro atque eam solam per se instituendam esse arbitramur libro de mortibus persecutorum neglecto, ut sine ira et studio contendatur neve, ut saepe evenit, inquisitione quadam primaria quidquam detrimenti capiat secundaria, cum mens ad primariam sit nimis intenta. Haec considerans, cum me ad investigandum sermonem Lactantii contulerim, primum quaerendum esse ratus sum, quid antea de illo iudicatum sit.

2. Quamquam inter scriptores ecclesiae latinae non desunt qui ad fidem christianam defendendam multo maiore cum ingenio adgressi plus contulerint, attamen nemo inter eos est qui in tanto

omnium temporum honore fuerit, quantum L. Caecilius Firmianus Lactantius sibi comparavit apud homines litteratos, quibus concinnitas sermonis, recta verborum conformatio permagnis sunt deliciis. Quod verum esse multitudo et codicum et editionum testatur. Multi enim viri eius operibus studium et operam dedebant scriptoremque summis laudibus efferentes nomine Ciceronis christiani dignum putabant. Iam Hieronymus,[1] quamvis docendi illius ratione non esset contentus, tamen eloquentiae summam laudem attribuit: *Lactantius*, inquit, *quasi quidam fluvius eloquentiae Tullianae, utinam tam nostra adfirmare potuisset quam facile aliena destruxit.* Et inde ab Hieronymi temporibus nomen Ciceronis christiani vel simile illi fuisse ex testimoniis apparet quae Buenemannus commentator ille doctissimus in editione sua praefandi causa composuit; ex quibus hoc unum afferam, quod est uberrimum: *Quis apud nos non videat esse Ciceronem, sed christianum hoc est aliquem qui eum ad lineam unguemque expresserit? quis enim non advertit Lactantium Firmianum aequasse ipsum et forte praecelluisse in eloquendo?* Nec dissimile fuit iudicium Krebsii,[2] Walchii.[3] Maxime autem Buenemanno ipsi Lactantius nomen Ciceronis debet, quippe qui permultos locos adferat, quibus Cicero christianus manifestetur. Quos secuti quicunque de Lactantio scripserunt eum nomine Ciceronis christiani exornant. Et profecto, si opera perlegeris, eum magna cum diligentia ut Ciceronem imitaretur studuisse concedes. Invenitur enim apud eum eadem fere facultas ac copia dicendi.

3. Quae cum ita sint, mirum fortasse videtur, quod quaestionem de genere dicendi Lactantiano suscepturus commentationi titulum inscripsi: *Quo iure Lactantius appelletur Cicero christianus*, quasi ulli dubitationi locus sit. Sed ne ullam a me Lactantio iniuriam fieri putes, primum animadverte ad illustrandum Lactantii genus dicendi magnum adiumentum in comparatione Ciceronis positum esse; deinde spectare te velim, quid illud nomen sibi

[1] Cfr. Corp. script. eccl. lat. XXVII pg. 161 sqq. (‚vetera de Lactantio testimonia', Hieronym. epist. 58, 10).

[2] Cfr. Krebsius, de stilo Lactantii. Halae 1706.

[3] Cfr. Ioh. Georg. Walchii edit. Lips. 1715, pag. 57—63.

velit. Hoc nomine, si simpliciter uteris, significatur, Lactantium idem genus dicendi adhibuisse ac Ciceronem, Ciceronem non quidem esse rebus propositis, sed genere dicendi quo eas composuerit. Quod amplectitur non tantum facultatem ac copiam dicendi verum etiam res gammaticas. Quod ad illam eloquentiam attinet Lactantium merito Ciceronem appellari perfacile intellegitur. Nam stili venustas, verborum concinnitas, fervor eloquentiae facillime legentium oculos attingunt et memoriae audientium inhaerent iucundissime. Sed difficilius est de arte grammatica iudicare, cuius proprietates sub ornamentis orationis saepe latent et legentes perfacile fugiunt. Ita enim factum est ut, cum de stilo Lactantiano iam exstent, quibus Cicero christianus comprobetur, de altera parte generis dicendi quaestione peculiari nondum instituta[1] et illo nomine ad universum genus dicendi relato[2] idem iudicatum sit. Quod iudicium iusto iure offendet eum qui Lactantium non solum in Ciceronis scripta sed etiam in Livium, Sallustium, Vergilium multosque alios scriptores et poëtas operam contulisse cognoverit. Huc accedit, quod nonnullae quaestiones de sermone, qui dicitur, Africo et ecclesiastico exstant, ex quibus intellegitur quam longe distent a Ciceronis sermone illi, quibuscum Lactantius eandem fere aetatem patriamqne communem habet. Illorum licentia omnino carere Lactantium quis est qui putet? Quid? Num ullus scriptor aequalium proprietates potest prorsus effugere? An vero si potuit, voluit? Quam quaestionem ut

[1] Quod iam queritur Kehreinius (‚Quis scripserit libellum qui est Lucii Caecilii de mortibus persecutorum', diss. phil. Monast. 1877, pg. 2), qui ad hanc materiam aggrediens Bertholdium dicit primum quidem de Lactantii sermone dicere, sed hanc materiam ipsam ita adumbrare ut multa syntaxin praecipue spectantia plane desiderentur. Sed ne Kehreinius quidem illud desiderium explevit. Nam ex iis quae Brandtius (‚Wiener Sitzungsberichte', vol. 125, pg. 36 sq.) attulit et ex adnotationibus, quas infra invenies, plane apparet Kehreinium saepius in errores incidisse. Nonnulla quidem inveniuntur apud Draegerum (Hist. Synt. I²) et apud Woelflinum (Archiv. lexicogr. et gramm. lat.), sed pauca sunt et tam disperse posita ut nemo sibi veram imaginem artis, quae est Lactantii, grammaticae adumbrare possit.

[2] Quin etiam Kehreinius ille ut Caecilio et Lactantio idem genus dicendi esse ostendat, quaestioni satisfecisse se ratus est, si genere dicendi Ciceroniano Caecilium uti demonstraverit (cfr. l. c. pg. 23).

solvamus, nonnulla de Lactantii studiis Ciceronianis adicere mihi liceat.

4. Verum quidem est et ex omni fere pagina intellegi potest Lactantium nullius scriptoris libris plus operae dedisse quam Ciceronis. Nemo est cuius opera uberius ille expilaverit, neminem tam eximia laude ornavit (cfr. Inst. I 15, 16 *M. Tullius, qui non tantum perfectus orator, sed etiam philosophus fuit;* III 13, 10 *ipse ille Romanae linguae summus auctor;* VII 1, 1 *eximius orator;* Opif. D. 1, 12 *Marcus Tullius vir ingenii singularis;* Ir. D. 22, 2 *ut more Ciceronis epilogo ad perorandum utamur).* Quod Ciceronis studium ei facultatem tam ornate copiose splendideque dicendi contulit. Neque vero in rebus grammaticis Ciceroni omnino obtemperare se usquam declarat. Immo vero ex ratione, qua verbis Ciceronis ipsius utitur, elucere videtur, non semper sectatorem illius generis eum esse. Inveniuntur enim nonnulli Ciceronis loci qui, cum Lactantius non accurate verba Ciceronis afferat, in codd. Ciceronianis aliter legantur. In his nonnullae commutationes tam insignes sunt ut non temere aut fortuito eas factas esse statuendum sit. Nam si Lactantii consuetudinem dicendi exploraveris, in illis non Ciceronis sed Lactantii proprium usum invenies. Legimus enim:

Inst. I 9, 3 *ferro ac viribus* (codd. Cic. *et*).[1]
I 17, 2 (cfr. 3) *commenticios ac fictos* (codd. Cic. *et).*

Quibus locis manifestatur studium ‹ac› particulae ad nomina idem fere significantia coniungenda, id quod plurimis exemplis comprobari potest, ut numerum quendam indicem, in Inst. l. I c. 1—5 plus viginti.

Deinde Lactantius ad conformandum verbum ‹inesse› praepositionem ‹in› plerumque non repetit, id quod exemplis infra adlatis (cfr. pag. 23) comprobabitur. Quam consuetudinem etiam in locis ex Cicerone depromptis sequitur vel ‹inesse› c. dat. coniungens vel pro composito simplex ‹esse› adhibens. Conferantur II 5, 8 *quae cum in sideribus esse videamus* (codd. Cic. *inesse*), Ir. D. 10, 46 *his enim in naturis nihil est* (codd. Cic. *inest),* IV 28, 5 *his enim verbis omnibus inest vis legendi* (Cic. codd. *in verbis),*

[1] Ciceronis locos adfert Brandtius in apparatu critico.

III 29, 4 *magnam esse fortunae vim* (codd. Cic. *magnam vim esse in fortuna).*

Neque convenit cum Cicerone Inst. VI 24, 20 *orbis terrae* (Cic. codd. *terrarum orbis);* hoc enim valde usitatum est apud Lactantium, cum quatuordecim locis exstet ‚orbis terrae' (I 9, 1; 17, 6; 22, 26; II 10, 9; 13, 1; 11, 6; III 22, 11; VI 24, 20; IV 14, 17; VII 16, 1; 17, 8; 19, 1; 3; 26, 1), contra duobus tantum exemplis ‚orbis terrarum' legatur (VII 25, 7; Epit. 66, 7).[1] Notandum est hoc loco, in ea parte quam Brandtius additamentum panegyricum esse demonstravit,[2] illud ‚orbis terrarum' apud Lactantium paene inusitatum nobis occurrere; cfr. I, 1, (13).

Loco III 15, 9 *(ipse sibi;* codd. Cic. *ipsi sibi)* librarii erratum deprehendere possis; sed saepius hunc nominativum invenies, pro quo casum pronomini reflexivo respondentem exspectes (cfr. I 22, 21; II 10, 3; III 17, 16; VII 21, 5).

Neque proprium genus Lactantii statuendum esse neges I 6, 2 *in Aegyptum profugisse* (codd. Cic. *Aegyptum*), ad quem locum optime convenit I 11, 20 *in Aegyptum venisse;* IV 10, 5.) — Iam Lactantium scripsisse, ‚alqd propter (se) ipsum expetendum esse' non ‚per se' locis III 27, 11; III 8, 24 commemorandum est, cum illam locutionem retineat etiam loco ex Cicerone deprompto (VI 11, 16 *si propter se virtus expetenda est;* codd. Cic. *per se).*

Aliae discrepantiae quae inveniuntur (VI 11, 14; 11, 11) non habent tantam vim, ut studio cuidam Lactantii attribui possint. Sed Ir. D. 17, 9 rursus occurrimus proprietati Lactantianae: *inhumanus et crudelissimus* (Cic. codd. *inhumanissimus et crudelissimus).* Haec positivi et superlativi coniunctio apud scriptores Lactantio aequales nonnunquam invenitur, saepius apud scriptores ecclesiae[3], quos secutus Lactantius scripsit: VI 18, 29 *sapientis*

---

[1] Adde, quod simplex vocabulum ‚orbis' genitivo ‚terrae' vel ‚terrarum' omisso nonnunquam invenitur (cf. II 10, 23; IV 26, 34; V 12, 8); quod poetis proprium inde a Taciti aetate etiam prosae orationis scriptores adhibuisse docet Krebsius-Schmalzius, ‚Antibarbarus der lat. Spr.' II[6] pag. 205.

[2] Cfr. Brandtii, ‚Über die dualistischen Zusätze und die Kaiseranreden bei Lactantius', Wien 1890.

[3] Cf. Sittelium, ‚die localen Verschiedenheiten der lat. Spr.', pg. 100 sq.

atque optimi viri; III 1, 7 *honestam illam et optimam;* I 3, 22 *maximus ac potens omnium* (cfr. I 8, 8 *maximi ac potentissimi);* IV 26, 36 *signum maximum atque sublime* (cfr. V 14, 19 *sublimissimas potestates).*

Ex exemplis qnae attuli liquido intellegi potest Lactantium, quamvis studeat Ciceronis vestigiis insistere, non carere propria ratione scribendi, id quod aptissime in rhetorem quadrare videtur, quippe qui ad docendos discipulos leges ac normas rerum grammaticarum sibi ipsi constituere debeat. Quae cum ita sint, mirum videri non potest, quod Lactantius in suis ipsius verbis saepius a Ciceronis more dicendi discessit. Quod quale sit ut diiudicetur inquirendum est, utrum Lactantius, cum appelletur Cicero christianus, etiam in rebus grammaticis exemplari, quod sine dubio ad imitandum sibi proposuit, fidem servaverit an licentiae civium et aequalium et ipse indulserit. Si id inquisitum erit, liquido apparebit ‚quo iure Lactantius appelletur Cicero christianus'.

5. Itaque Lactantius a nobis comparandus est non solum cum Cicerone sed etiam cum recentioribus scriptoribus et poetis. Ex operibus Ciceronis imprimis rhetorica et philosophica respicienda sunt, cum epistolae fere neglegi possint, quoniam comparatio non fit nisi inter similia. Attamen non totam materiam explere mihi in animo est, sed interim illam partem syntaxis tractaturus sum, quae maxime idonea videtur, ex qua ars Lactantii grammatica cognoscatur: dico syntaxin casuum.

6. Priusquam ad propositum propius accedam, restat ut aliquid dicatur de libris qui magno fuerunt mihi adiumento. Ad eruendum genus dicendi Lactantianum Divinarum institutionum, de Opificio Dei, Epitomes, de Ira Dei libros exploravi secutus editionem Brandtii[1] (Corp. script. eccl. lat. vol. XIX et XXVII Vindob.). Ciceronis usum Merguettii lexica mihi indicaverunt;

[1] Cuius editionis indices cum adhuc desiderentur, Buenemanni commentarium luculenter compositum in auxilium vocavi (edit. Lips. 1739). — Nonnullis sane locis a Brandtio dissentio. Neque enim illud subsidium repudiavi quod Brandtius ipse emendanti offert, cum dicit: *iis locis, quibus codices diversas in partes discedunt, minus numero codicum vel auctoritate singulorum quam ratione diiudicatur, quae lectio vera sit* (cfr. Prolegomena LXX).

aliorum scriptorum opera vel ipse perlegi vel indicibus exploravi. Neque neglexi adnotationes Draegeri neque aliorum commentationes, quae ad hanc rem pertinent, suo tempore adnotandas.

De casuum obliquorum usu Lactantiano.

Ad hanc quaestionem dissolvendam omnia casuum exempla enumerare opus non est, quoniam hic est cardo rerum, ut cognoscamus quam rationem Lactantius secutus sit in iis rebus, quibus singuli scriptores maxime in diversas partes abierint. Neque autem huic quaestioni satisfacturos nos esse arbitramur, nisi verborum, quae cum varia conformatione praedita apud Lactantium inveniuntur, omnia exempla proposuerimus. Etenim, cum ex scriptoribus alter alteram conformationem praeferat, res etiam in eo versatur ut quid certa consuetudine, quid raro usurpatum sit diiudicetur.[1] Eadem ex causa de verbis tum casum nudum tum de praepositione pendentem regentibus disputandum est.[2]

I.

De Accusativo.

A. de accusativo obiecti simplici.

Linguae latinae aliisque linguis, quae dicuntur, indogermanicis proprium esse constat, quod, quaecunque verba actionem vel affectum in rem personamve directum indicant, per se ad accusativum obiecti adsciscendum idonea sunt. Neque autem omnia illius modi verba a scriptoribus Romanis cum accusativo coniuncta inveniuntur, sed in hac re exstat magnum discrimen et temporum et scriptorum. Alia enim verba accusativum sibi adsciscere solent, ita ut vis transitiva iis quasi innata esse videatur, alia ab uno cum accusativo coniuncta ab altero sine illo casu usurpata sunt; neque desunt,

---

[1] Quod, cum facile neglegi possit, hoc loco notandum esse puto, quoniam, si quid apud unum raro inveniatur, quod ab altero certa consuetudine usurpatum sit, minus imitationis quam dissensionis alterius ratio statuenda est.

[2] Cfr. Lattmann. in Fleckeisenii-Masii ann. 1892 pg. 135.

quae tum accusativum tum alium casum sibi adiungant. Annis autem vertentibus certa quaedam consuetudo in verbis conformandis facta est; quam ob rem a grammaticis discrimen fit inter verba transitiva et intransitiva. Ad hanc consuetudinem, cuius summum exemplar est usus Ciceronianus, num Lactantius propius accesserit cum inquisiturus sim, ne incertis vestigiis insistam, de eorum verborum usu Lectantiano disserere mihi liceat quae non vulgo pari modo transitive usurpari iam a Draegero[1] in universum demonstratum est. Pertinent autem huc:

a) verba transitiva quae tum accusativo tum alio casu obiectum exprimunt: adulari: Inst. I 20, 14 *adulatus est videlicet Attico;* Ep. 59, 8 *huic vero nec adulari licet.* Livium imitatus esse videtur, non Ciceronem, qui hoc verbum cum accusativo tantum conformet[2] (cf. Cic. de divin. 2, 2, 6; Pis. 41, 99). Pro casu nudo praepositionem adhibet Lact. I 15, 13, *sicut faciunt qui apud reges etiam malos panegyricis mendacibus adulantur.* Fortasse hoc loco Lactantius singularem sententiam exprimere voluit praepositione ‹apud' significante adulatores, quos reprehendit, tam impudentes esse, ut reges laudent *in faciem* (cf. III 14, 7).

‹Cavere' a Cicerone, si sonat ‹sich hüten, sich schützen', coniungitur aut cum accusativo aut cum ablativo de praepositione ‹a' pendente. Lactantius in hoc verbo conformando semper accusativum adhibet: I 9, 6; II 29, 9; VI 10, 17; 11, 20; 22, 5; 24, 6; VII 4, 14. Unus quidem locus ab hoc usu dissentire videtur, si quidem cum Brandtio legas: III 10, 3 ‹malo cavent'. Sed hanc lectionem non veram esse arbitror, cum et Lactantii usus omnis obstet et nonnulli codices discrepantiam praebeant. Brandtius enim indicat in apparatu: *mala (alt. a ex o) P³; malo (sic corr. m.²) V.* Ad hanc codicum discrepantiam accedit alia causa dubitandi gravissima. Inest enim huic loco ordo ille verborum, quem dicunt chiasmum: utilia sibi adpetunt, mal . . cavent, periculum vitant, latibula sibi parant. Partes a-a inter se maxime concordant, quod de partibus b-b dici non possit nisi scribas ‹malum cavent'. Qua lectione recepta quis non admiretur

[1] Draegerus, Hist. Synt. I² § 169.

[2] Cf. Krebs.-Schm. Antibarb. I⁶ pg. 97.

artem Lactantii quippe qui, cum et verba ‹cavent, vitant› et ‹sibi› adpetunt, sibi parant› habeant notionem prorsus similem, iis ‹objecta adiciat quorum voces in eandem syllabam exeant.[1] Est igitur insignis speciosaque concordia et sententiae et formae; atque profecto mirum videretur, si Lactantius a conspiratione concentuque verborum hoc loco ita abhorreret, ut contra consuetudinem[2] ablativum accusativo anteponeret scribens ‹malo› pro ‹malum›. Jam vero lectio, quam proposuimus, ratione critica commendari potest. Scripturae enim vocum MALV̄ et MALO tam similes sunt, ut littera V̄ a scriptore archetypi paululum rotunda facta facillime commutari ac confundi potuerint. — In usu verbi deficiendi (cf. I 3, 15) et verborum fugiendi Lactantius et Cicero inter se consentiunt; uterque verba fugiendi aut cum accusativo conponit aut ablativum praepositioni ‹a› vel ‹ex› subiectum iis addit; nec dissimili ratione verba impersonalia ‹pudet, paenitet› ceteraque, quibus accusativus personae adiungi solet, ab utroque usurpantur.

‹latere› verbo frequentius utitur Lactantius absolute aeque ac Cicero; sed uno loco non Ciceronem sequitur, quippe qui nullum casum nisi dativum pronominis personalis huic verbo addat; legimus enim: Op. 12, 1 *quae quamquam in operto latent* (cf. Cic. Ac. I 45 *latet in occulto*) *sensum tamen atque intelligentiam latere non possunt.* Eodem modo iam Vergilius accusativum huic verbo adnexit (Aen. I 130, *nec latuere doli fratrem Junonis et irae).* Propius autem Lactantius ad Varronis vestigia accessisse videtur, quippe qui scripserit: R. R. I 40, *unum, quod latet nostrum sensum.*

b) verba intransitiva, quae ex ratione quadam singulari vim transitivam induunt et accusativum obiecti recipiunt:

1. ex ratione notionis

α) verba affectum quendam animi significantia.

Verborum huiusmodi usus transitivus magis in dies crescebat, ut

---

[1] Eadem autem re efficitur, ut non omni vinculo partes inter se diversae careant, id quod chiasmum eo elegantiorem reddit. Nam ut in partibus a b adiectiva (n. plur. et sing.) posita sunt, ita in b *a* substantiva (n. sing. et plur.).

[2] cf. etiam VI 10,17 *vel periculi fugiendi vel mali cavendi vel cubilia sibi et latibula parandi.*

scriptores, quos Cicero aetate antecessit, numerum eorum valde auxerint. Ex exemplis quae in Ciceronis[1] operibus inveniuntur Lactantius nonnulla in usum recepit, pauca etiam his adiecit alios secutus scriptores, maxime poetas. Inveniuntur enim:

horrere alqd I 5, 10; 20, 26; V 22, 19; VII 27, 7.

abhorrere: Ep. 46, 2 *abhorrent nomen crucis*; quale accusativi exemplum a Cicerone[2] alienum est, cuius usus e loco a Lactantio allato eluceat: III 25, 12 (Tusc. II 1, 4) *abhorrere a multitudine philosophiam;* cui consentiunt III 25, 2 *si ab hominum coetu abhorret;* V 12, 5 *non abhorrens a vero locus* (contra Tac. hist. 5, 24 *vero*); V 9, 14; 21, 1.

exhorrescere: VI 17, 5 *quae omnia quisquis exhorruerit, fortissimus iudicatur.* Hic Livii imitator exsistit (cf. Liv. 8, 35, 11 *ni tristia edicta exhorruisset)*, cum Cicero hoc verbum non adhibeat nisi Fin. 1, 43 absolute.

gloriari, quod Cicero[3] cum accusativo pronominis neutrius coniungit, apud Lactantium cum accusativo etiam substantivi coniunctum invenitur: Ep. 40, 5 *gloriatur patrem dominum,* 48, 8 *num potes . . . . . conservatorem te hominis gloriari.* In libris vero institutionum utitur ablativo: I 23, 5 *sacrorum vetustate;* III 23, 1 *pecuniae contemptu.* ‹Dolere›, ‹gaudere›, ‹indignari› verborum nullum apud Lactantium exstat eiusmodi exemplum. Nam I 15, 30 *(dolens amissum regem),* III 19, 24 (cf. III 20, 17) verbum infinitum ‹esse› audiendum est.

queri, conqueri: III 18, 13 *queri de vita;* Op. 4, 8 *de morte;* 4, 10 *de fragilitate; id;* 3, 8 *de opifice rerum deo;* IV 18, 10 *conqueri tantum nefas*; V 8, 1 *eius absentiam;* VI 20, 24

[1] cf. Draeg. l. c. pag. 358 sq.

[2] Exemplum Ciceronis quod affert Draeg. Hist. Synt. I² pg. 358 (p. Cluent. 14, 41 *omnes abhorrebant*) ad hanc rem nihil valet, nisi audiendum est *eum.* Neque vero ut illud audiamus, ulla necessitate cogimur. Immo vero sententiam oratoris multo acrius attingemus, si verbum tantum respexerimus. Iam hoc commendatur proximo verbo eiusdem enuntiati: *omnes aspernabantur, omnes abhorrebant,* id quod interpretamur: „alle waren mit Verachtung, alle mit Abscheu erfüllt". Verumtamen, si quid audiendum esse malis, cur „ab eo" minus audiri potest quam „eum" ad „aspernabantur" cogitatione adici?

[3] cf. Krebs.-Schmalz., Antib. I pg. 572.

facultatem, angustias conqueri. Ex his exemplis adlatis Lactantium ea lege teneri apparet, ut simplex verbum cum praepositione ‚de' (excepto accusativi pronominis exemplo) coniungat, compositum accusativo subiciat.

pavere: V 21, 4 *fugitant iustos et pavent.* Eodem modo hoc verbum usurpant Horatius (carm. 4, 5, 25; epod. 12, 25), Sallustius (Cat. 31, 3), Tacitus (a. 5, 4), non Cicero.

tremere: I 22, 13 *tremit has;* quod sane ex Lucilii lib. XV (frg. II) depromptum est. Sed Lactantius eadem ratione dicendi utitur: V 13, 17 *non praesidum gladios tremunt.* Confer etiam Cypr. p. 567, 10 [1] *tremere deum.*

β) verba, quibus inest vis movendi vel eundi, simplicia. Quod ad haec attinet Lactantius ad Ciceronis vestigia propius accedit licentia aequalium reiecta. Nam eadem ratione utuntur his verbis:

intrare cum accusativo coniungitur III 20, 4 *aedem;* IV 30, 11 *hoc templum dei, quod si quis non intraverit vêl a quo si quis exierit.* Hoc altero loco Brandtius praebet lectionem *quo* pro *quod;* equidem cum codice B omnium vetustissimo et S malim *quod,* cum ad substantivum *templum* respiciendum sit. Qua lectione efficitur ut altera pars totius enuntiati (*a quo* scil. templo) magis respondeat priori *quod* (sc. templum). — Accusativus contra de praepositione ‚in' pendens invenitur Ir. D. 24, 4 *in hospitium mundi huius intravimus.*

penetrare Lactantius contra Tacitum [2], Florum aequalesque cum accusativo ‚ad' praepositioni subiecto coniungit ita ut Ciceroni fidem praestet: V 2, 3 *ad amicitias;* Op. 8, 9 *ad sensum;* 10, 20. — His adiungi possunt verba navigandi et ambulandi, quorum locus Ciceronis hic est singularis: Fin. 2, 34 *cum . . . maria ambulavisset, terram navigasset.* Conferantur: Lact. inst. VII 4, 18 *hoc pelagus: quis id navigat;* Epit. 64, 3 *quis navigat mare?* — Verbi autem ambulandi exemplum praebet imparem

[1] Edit. Hartelii.

[2] Egen, de Floro historico elocutionis Taciteae imitatore, Monast. 1882 pg. 16.

conformationem: Epit. 40, 3 *idem supra*[1] *mare ambulavit.* Sed hic praepositionis usus suam causam habet, cum miraculi illius mentio fiat a Jesu Christo divina potestate facti, quod non potuit recte explicari praepositione illa omissa.

Adde exemplum quod Livii vel Taciti studium sapit: IV 27, 10 *infitias non en ut* (cf. Kr. Schmalz, Antib. I pg. 675).

2. ex ratione verbi compositi. Jam Cicero nonnulla verba eiusmodi transitive usurpat; sed usum intra terminos quosdam coërcuit, quos posteriores transgressi sunt. Quorum licentiae num Lactantius indulserit, ut cognoscatur, exempla in medium proferamus ordinem praepositionum secuti.

Verborum cum praepositione ‚ad' compositorum usus Lactantianus a Cicerone non multum differt, nisi forte magni putas, quod cum Cicero frequentius verba eiusmodi varie coniungat, apud Lactantium semper accusativus nudus sequitur hoc verbum:

adgredi I 1, 17 *viam rectam;* V 2, 10 *id operis;* VII 1, 23; Op. D. 1, 14 *hoc munus.* Cicero contra, si de opere quodam faciendo agitur, semper praepositionem ‚ad' accusativo addit.

adflare VII 1, 23, *unde eos odor ille sapientiae . . . . . adflaverit.* Eiusmodi usus exemplum lexica non praebent nisi in poetis et recentioribus scriptoribus (cf. Liv. 22, 43, 11 *terga tantum adflante vento).*

Duplici ratione usurpatur a Lactantio aeque atque a Cicerone:

adire: inst. I 20, 4 *penetralia;* II 4, 28; Epit. 65, 8 *ad ipsum sacrarium.* Opif. 4, 3 *ad eum.*

Ab aliorum autem verborum eiusmodi transitivo usu quem exhibent aequales maximeque scriptores ecclesiae (adhaerere, adiacere, accubare, accumbere c. acc. cf. Draeg. l. c. pg. 377) Lactantius prorsus se abstinuit, ut terminos a Cicerone constitutos non multum transgressum esse eum affirmare possis. Neque vero idem dici potest de usu verborum, quae cum praepositione ‚in' coniuncta sunt:

---

[1] Heumannus pro „supra" scribere mavult „super", quod mihi probatur consideranti illas praepositiones non semel confusas esse et praepositione „super" accuratius demonstrari Christum mare pedibus attigisse, qua in re ratio omnis miraculi continetur (cf. IV 15, 21 *pedibus mare ingressus est).*

incessere: III 14, 12 *potentissimum consulem maledictis*; V 10, 1 *ac ne quem videar inclementer incessere* (cf. VII 26, 8 *inclementer impugnare*). Quod verbum ita usurpatur a scriptoribus qui post Ciceronis tempora fuerunt (cf. Draeg. l c. pag. 378).

incurrere, quod Cicero nunquam cum solo accusativo coniungit, apud Lactantium invenitur: VI 25, 12, *ne quis . . . . . tumoris et adrogantiae crimen incurrat;* II 7, 23 *crimen loquacitatis* (cf. Cic. Planc. 91 *in crimen*). Sed Lactantius huic licentiae ita temperavit, ut accusativus nudus ex incurrendi verbo non pendeat nisi accusativus criminis substantivi; quod ex his locis apparet: II 1, 3 *in laqueos mortis;* III 24, 2 *in ea;* IV 26, 15; Ir. D. 4, 9.

incursare: VII 7, 6 *incursantque passim sine dilectu omnia quae adferunt.* Eidem verbo Livius et Tacitus accusativum nudum adnectunt, quos imitatus est Arnobius praeceptor ille Lactantii (cf. lib. 5, 21 *incursantur negotia humana*).

ingredi: IV 15, 21 *pedibus mare;* VI 4, 8 *angustias;* 10 *iter.* Praepositionis usus invenitur: IV 10, 8 *Hebraei vero ingressi in solitudinem.* Quae structura eo magis mira videtur, quod in proximo enuntiato (IV 10, 8) legitur: *mare adhuc patens temere ingressus coeuntibus aquis cum omni exercitu deletus est. Hebraei vero . . . . .* Attamen scrupulum ex animis evellendum esset, si codices consentirent. Plures[1] vero codicum pro *ingressi* habent *egressi.*[2] Quam lectionem praeferendam esse censeo perpendens non numerum aut auctoritatem codicum, sed cohaerentiam ac sententiam verborum, cui illud *egressi* melius quadrare mihi videtur. Nam exercitum regis Aegyptiorum mare adhuc patens ingressum mox fluctibus obrutum esse, ut e mari egredi non potuerit, narratur; cui enuntiato aptissime opponitur (cf. *vero*) Hebraeos integros e mari egressos esse in solitudinem. Quod si tibi probatum erit, Lactantium praepositionis usum in verbo ingrediendi conformando reiecisse concedes.

inrumpere I 18, 17 *foedus inrumpent;* Ir. 14, 6 *inrumpit institutum legemque divinam;* 24, 12 *divina coniunctio inrumpitur*

---

[1] R H S U *gressi;* B G P *ingressi.*

[2] Cfr. Editio Brandtii, Corrigenda et Addenda pag. CXIV: *302, 17 an egressi scribendum?*

(cf. Cypr. pag. 546, 2 *inrumpere evangelium*). Jam Sallustius [1] huius verbi transitivum usum exhibet a Cicerone prorsus alienum. Idem statuendum est de invadendi verbo[2], quod invenitur Ir. D. 17, 8 *omnia eius invaserint*; cf. Cypr. pag. 358, 19; 388, 9.

insidĕre: VII 10, 4 *pectus, quod insedit virtus.* Hoc loco *insidĕre*, non *insidēre* verbum exstare apparet.

inspirare, quod in Ciceronis operibus non invenitur, a Lactantio cum accusativo personae usurpatur: Epit. 22, 2 *hominem inspiravit ad vitam;* inst. III 18, 13 *qui humanum genus finxit, inspiravit;* VI 20, 18 *ad vitam deus inspiravit animas.* Sed dativus personae vel accusativus ‚in' praepositioni subiectus adhibetur, si obiectum rei additur: Epit. 42, 3, *inspiravit in eos spiritum sanctum;* I 11, 16 *animantibus inspirat animas.*

Jam ut genus Lactantii dicendi accuratius cognoscatur, proferam verba eiusmodi, in quorum usu Lactantius a Ciceronis usu minus discedit:

incidere: VI 11, 20 *in id;* Op. D. 12, 12. Sane contra morem Ciceronis verba incidendi et incumbendi[3] transitive usurpata esse videntur: V 7, 7 *in id, quod incubuerunt, agant caecos;* Epit. 22, 1 *ne quis etiamnunc in eosdem laqueos incidat, quos illi veteres inciderunt.* At vide, quod iam Buenemannus vir ille doctissimus ad hos locos animadvertit: *per ellipsen praepositio antecedens non repetitur.*

inludere: III 28, 6 *res humanas;* V 20, 13; VI 23, 10: sed dativus legitur V 9, 10 *crudelitas corporibus inludat.*

inquirendi verbi in usu scriptores optimos maximeque Ciceronem ea lege teneri constat, ut huic verbo si sonat ‚etw. suchen' accusativus nudus adicitur, sin ‚suchend in etw. eindringen' accusativus e praepositione ‚in' dependens. Prioris generis loci Lactantiani sunt: I 21, 24 *puer . . . . inquiritur;* III 29, 11 *haec inquirere:* IV 1, 12 *studio inquirendae veritatis.* Alterum genus exstat: II 6, 7 *ut inquirere in eam scelus esse ducatur.* Hoc loco dubitatio

[1] cf. Antibarb. I pg. 729.

[2] cf. Antibarb. I pg. 715.

[3] de hoc verbo cf. etiam pg. 23.

tollitur, quid scribendum sit III 15, 8 *(si quis mores eorum diligenter inquirat)*, ad quem locum Brandtius in apparatu critico adnotat: *in mores* P^1 *(in del.* P^3*) V, forte recte.* Equidem ‹in› mores› scribere malim, cum conferam et locum Lactantii supra laudatum et. Min. Fel. Octav. 10, 5 *(Deum . . . . . in omnium mores . . . . diligenter inquirere)*, quem Lactantium illo loco et Cyprianum epist. 66, 1 (Hartelii edit. pag. 726, 16 *in*[1] *mores nostros diligenter inquirere)* imitatos esse verisimile est.

Accedamus nunc ad verba cum praepositione ‹ex› coniuncta. Contra Ciceronis usum cum accusativo coniunxit Lactantius Livium et Tacitum secutus haec verba:

egredi: VI 20, 5 *fines;* cf. Cic. Quinct. 24 *fines et terminos extra quos egredi non possim.*

excedere: II 3, 25 *vires humanae condicionis excedit;* II 8, 66 *modum;* I 23, 6; III 6, 17; VI 21, 11 *terminos;* Epit. 32, 3; Opif. D. 15, 5 *quae voluit deus intelligentiam hominis excedere.*

evadere: Epit. 34, 11 *sententiam*; cf. Cypr. pg. 257, 13 *nec Dei oculos potest evadere* et saepius.[2] His locis adlatis exstat sensus translatus; eadem autem verba, si propriam loci notionem retinent, ablativum e praepositione ‹ex› vel ‹de› pendentem sibi adsciscunt: II 13, 4 *cum egressus esset ex arca;* II 15, 3 *excedere de corporibus.* Quibus ex locis Lactantium non longe terminos a Cicerone constitutos transgressum esse cognoscas (cf. pag. 13: *crimen incurrere).*

Verba cum praepositionibus ‹ante›, ‹prae› coniuncta quae apud Lactantium accusativum objecti recipiunt sunt haec:

antecedere: III 13, 4 *Uranum multis aetatibus;* VII 19, 5 *antecedet eum flamma.*

anteire: Epit. 67, 1 *anteibit eum.*

praecedere: VI 5, 11 *scientia praecedit virtutem;* IV 10, 12 *eos in signo praecederet*; IV 15, 20 *seque praecederent;* cf. Cypr. 13, 7 *ipsum pompa comes praecedit.*

praecellit: Ir. D. 7, 15 *praecellit et superat ceteras animantes.*

---

[1] codd. Cypr. B^1 T in mores.

[2] Inspice indicem Hartelii.

Interest inter Ciceronem et Lactantium hoc, quod apud Ciceronem verba antecedendi et anteeundi modo cum accusativo modo cum dativo coniunguntur et verbum praecedendi prorsus deest neque praecellendi verbi ullus usus est nisi ut participii ‚praecellens' pro adjectivo usurpati. —

Pari autem modo Cicero et Lactantius utuntur his verbis cum praepositione ‚circum' compositis:

circumire: I 22, 22 *circumire terras*; III 7, 6 *non necesse est omnia circumire* (cf. Min. Fel. c. 18, 1 *Longum est ire per singula*).

circumsidēre VII 19, 5 *multitudinem quae montem circumsederit.* Sed animi pendeo, num hoc loco potius ‚circumsidĕre' statuendum sit, ut Livium secutus esse videatur. —

His addam quae Ciceroni respondent:

pervolare: Opif. D. 16, 9 *maria.*

praeterire: Opif. D. 3, 10 *imbecilliora.*

praetervolare: II 8, 46 *periculum;* Opif. D. 8, 7 *angustias.*

c. verba aliarum significationum, quorum usu transitivo Lactantius vel consuetudinem poetarum et scriptorum ecclesiasticorum imitatur vel peculiarem quandam sermonis speciem praebet.

‚abscidere' et ‚egerere' brevitatis causa accusativum notioni non accurate respondentem sibi adsciscunt: I 13, 1 *abscidere hominem;* I 9, 2 *egerere stabulum.* Plena elocutio invenitur I 12, 2 *abscidere genitalia patris*; I 9, 5 *egerere fimum de stabulo, vitia de corde.*

inveterare: II 16, 20 *notitiam;* hoc loco illud verbum exstat pro ‚abolere' id quod posteriori latinitati proprium esse docet Antibarb. I pg. 718.

obticescere: Ir. D. 4, 13 *cetera.*

praedari: V 9, 15 *maria;* VII 17, 9 *mali bonos hostiliter praedabuntur*; cf. Cic. Verr. II 146 *in re frumentaria;* ibid. IV 3 *apud tuos Mamertinos.* Optime sane cum Cicerone consentit Lact. inst. VI 18, 8 *praedari ex necessitate alicuius* (cf. Cic. Verr. II 45 *praedari ex hereditate*). Accusativus autem huic verbo adiunctus non invenitur nisi apud Tac. A. 12, 49 *socios magis quam hostes praedatur.*

triumphare active legitur: IV 26, 28 *mortem;* VI 23, 39; Epit. 41, 7; passive: Epit. 7, 4; 46, 8; 61, 6; VII 24, 4.

Alia verba apud Ciceronem eiusque aequales prorsus desunt: inaurire: Epit. 40, 2 *surdos inauribat.*

infestare: Epit. 54, 7 *maria;* contra optimi scriptores[1] utuntur locutione ‹infestum facere, habere, vel reddere›.

imaginare: V 13, 21 *terram digitis suis imaginatam.*

profanare: III 20, 4 *templum;* V 8, 7 *pudorem suum;* 9, 17; cf. Cypr. pag. 226, 9 *veritatem.*

Optimos autem scriptores secutus est personandi verbum accusativo subiciens: IV 6, 11 *personant damnationem suam prophetarum voce praedictam cottidianis lectionibus;* sine obiecto legitur: I 22, 16 *personare cantu.*

Venio nunc ad accusativum de verbis passivis induendi similisque notionis pendentem.

Quamquam frequentius dubium relinquitur, utrum accusativus an ablativus verbo ‹indui› subiectus statuendus sit[2], attamen nonnulli loci ablativi tam certi sunt, ut ex iis certa consuetudo[3] appareat, qua illa dubitatio tollatur. Accusativus autem qui exstat IV 4, 17 *indutus vestimenta sordida,* cum e psalmo Davidis CIX depromptus sit, Lactantio minime est adtribuendus. Quibus locis sublatis unus accusativus more Graecorum usurpatus, de quo nihil dubii est, restat: Op. D. 7, 6 *maculis terga distincti.*

B. De accusativo obiecti duplici.

a. De verborum usu, qui accusativum et personae et rei sibi adsciscunt, non multa sunt quae dicam. Nam unum ‹docere› cum illo accusativo duplici praeditum invenitur et id quidem raro: III 21, 1; IV 22, 3; VII 7, 9; Opif. D. 18, 9. Ceteris locis verbi docendi et omnibus verborum flagitandi et interrogandi aut alter omittitur aut additur vel praepositio vel infinitivus vel enuntiatum interrogativum; cf. III 19, 1; 24, 9; Op. D. 3, 5; 11; 20. Qua consuetudine ad Ciceronis genus dicendi proxime accessisse Lactantium videmus.

---

[1] cf. Antibarb. I[6] pg. 672.

[2] cf. IV 12, 15; 24, 16; Opif. D. 19, 9.

[3] cf. IV 24, 18 *(mortali corpore);* Ir. 20, 5.

b. E verborum numero quae secuntur duo accusativi, alter obiecti alter praedicati, Ciceroni et Lactantio communia sunt verba faciendi, dicendi, putandi, habendi, ut de his nihil mentione dignum esse videatur[1].

His adiungi possunt exempla quae poeticum colorem sapiunt: III 26, 5 *dabo* (*sc. eum*) *largientem.* Opif. D. 8, 2 *hunc rigidum erexit.*

More autem Ciceronis dicitur:

I 20, 6 *praecipitem se dedit.*

V 4. 10 *voluptas trahit praecipites.*

VI 19, 4 *homines praecipites agere.*

Additamentum.

De accusativi qui dicitur adverbialis et verbalis (objecti interni) usu non multum interest inter Lactantium optimosque scriptores. Sed ut Lactantii sermonem illustremus, nonnulla exempla afferre liceat: I 3, 19 *plus nocere*; III 11, 6 *nimia nocere;* Op. 16, 6 *multum errare;* Ir. 17, 21 *multum distare;* VI 16, 4 *non tantum modicum sed vel punctum gaudere vitiosum est;* huic loco similis

---

[1] Sane verba putandi et habendi rarius cum duplici accusativo (vel passive cum nominativo) coniungens alias confirmationes substituit ut ‚habere pro', ‚haberi in', ‚computare pro'. Qui usus, quamquam a Cicerone non prorsus alienus est, tamen apud Lactantium tot tantisque exemplis patet ut non Ciceronis sed aliorum scriptorum qui illi usui magis favebant, imitator inveniatur, Livii Taciti maximeque scriptorum ecclesiasticorum (cf. Draeg. l. l. pag. 384). Iis quae Draegerus attulit addam exempla:

habere: III 20, 15 *animal pro deo;* III 3, 12 *nos pro insanis;* IV 13, 14; VI 4, 3; Op. 1, 5; Ep. 59, 6; V 3, 3 *quae in bonis habentur;* VI, 17, 15 *parsimoniam virtutis loco habent.* Cum his locis verbum habendi significat: ‚für etw. halten, zu etw. rechnen', insolentius vis propria habendi retinetur: V 19, 30 *(religio) mentem ipsam pro sacrificio habet;* Opif. D. 1, 6 *oblectamenta ista terrae pro magnis aut veris bonis habere te credas; 7 omnia quae inlicere possunt, pro laqueis habet;* Ir. D. 23, 2 *Cymaeae volumina — in arcanis habentur.* Epit. 8, 6 *formonsum adulescentem in deliciis habuit* (pro qua locutione exspectes ‚in formonso adulescente delicias habuit', cfr. Antibarb. I^{6} 583). Maxime autem offendit ablativus numeri singularis: VI 25, 4 *cetera quae habentur in pretio.*

est: VI 16, 6 *nemo dubitat quin et in illo exiguum laetari et in hoc parum laetari sit maximum crimen.*[1]

Accusativi obiecti interni exstant: I 15, 2 *agrestem vitam vivere;* VII 24, 15; Ir. D. 7, 14 *vitam pecudum vivere;* (cf. II 3, 22 *vitam pecudum imitari);* VII 27, 16 *infatigabilem militiam deo militemus.*

Quaestione de accusativo ad finem adducta praetermittere non possum quin in usu ‹invicem› vocis pro ‹inter se› usurpatae Lactantium a Cicerone longe discessisse et minus bonos scriptores secutum esse indicam. Iam Draegerus[2] exemplum eiusmodi attulit: VII 5, 23 *impugnant invicem.* Sed quoniam exempla non desunt, quibus pronomen reflexivum adiunctum sit, ut qua lege Lactantius teneatur dilucidius appareat, omnia exempla in medium proferamus:

III 23, 9 *nosmet invicem tueremur*; V 8, 11 *humanum genus se ipsum invicem conficit;* VI 3, 13 *se inv. obpugnant;* 32, 2 *se inv. appetere;* VII 15, 10 *se inv. obpugnabunt;* 26, 2 *se invicem gladio ferient;* Ir. 10, 7 *invicem se apprehendere.* — VI 18, 2 *abstinemus invicem;* 20, 2 *audiunt inv.*; 23, 32 *adsuescunt invicem mores;* VII 5, 23 et Ir. D. 19, 1 *impugnant invicem.*

Quibus ex locis adlatis plane apparet, a Lactantio ‹invicem› vocem nudam poni, si verbum praecedat, reflexivum pronomen adici, si verbum altero loco positum sit. Neque huic legi, quam proposuimus, duo hi loci obstant: III 4, 9 *sic invicem iugulant;*[3] Ir. D. 7, 7 *dinoscunt invicem se notis.*[4] Nam codices ipsi his locis dissentiunt.

---

[1] Aliter de hoc loco iudicatum est in Woelffl. archiv. lexicogr. et gramm. lat. III 82; ‹exiguum laetari› esse „substantivischer Infinitiv mit adjektivischer Bekleidung". Sed quare non sit ‹exiguum› accusativus adverbialis, cum altero loco verbo laetari adverbium ‹parum› adiectum sit, equidem non video.

[2] cf. Draeg. Hist. Synt. I² pg. 401, et Egen. l. l. pag. 17: ‹pronomen reflexivum deest praecedente invicem: Tacit. h. IV 17 experti invicem sumus›.

[3] sic ⌜se⌝ P^3, sic (corr. m. 2) V; iugulantur B.

[4] se (s in er. d? m. 2) B.

II.

De Dativo.[1]

A. De dativo obiecti personae vel obiecti quasi personam gerentis.

a) dativus arte coniungitur cum verbis et adiectivis.

1. dativus possessivus, qui sequitur verbum ‚esse'. Apud Lactantium satis frequenter illum invenies, perraro autem verbum habendi vel possidendi, quae Ciceronem ad notionem possessionis exprimendam minime repudiasse constet.[2]

2. dativus obiecti, quod unum verbo adiectum est. Ac primum quidem dicendum est de verbo temperandi, quod more Ciceronis cum dativo coniungitur si sonat ‚schonen, zügeln, mildern'. Lactantius autem, cum locis VI 17, 17 *pecuniae*, VII 21, 7 *iustis*, ubi notio parcendi exstat, Ciceronem sequatur, aliis locis accusativum adhibet etiamsi verbo illi inest vis ‚zügeln, mildern': II 11, 4 *cursus;* 5, 23 *tenebras.* Ablativus e praepositione ‚ab' pendens exstat: VI 13, 3 *ab opere.* — Deinde huc pertinent verba, quibus inest vis serviendi, favendi, nocendi. De quorum usu Lactantii haec sunt dicenda: Nonnulla verba inveniuntur quae apud optimos scriptores aut prorsus desunt aut cum dativo non coniunguntur: *dominari* II 1, 8 *id, cui dominari debet*; cf. I 8, 7 *in quos;* IV 24, 16 *in me;* vide etiam usum genitivi pg. 35.

famulari: II 5, 6 *commodis atque usibus hominis;* Ir. 24, 7 *terrenis fragilibusque famulari.*

patrocinari:[3] V 17, 2 *verae iustitiae.*

Pauca verba eiusmodi, quae apud Ciceronem et aequales dativum sibi adsciscunt, a Lactantio alio modo conformata inveniuntur:

---

[1] In hac quaestionis parte ordinem secutus sum, quem constituit Landgrafius, Archiv. lexicogr. et gramm. lat. vol. VIII pag. 39 sq.

[2] cf. Schenk, de dativi usu Ciceroniano (I Progr. Bergedorf 1892 pag. 14 sq.)

[3] cf. Draeg. l. l. pg. 404.

benedicere: VII 14, 11 *requievit die septimo eumque benedixit;* hoc loco sonat: ‚segnen', id quod est scriptoribus ecclesiasticis proprium[1].

invidere: V 12, 11 *quod eam nobis invident*; qui accusativus apud Ciceronem non invenitur nisi pronominis neutrius (cf. Cic. Mur. 88 *quid invidendum Murenae sit*).

studere: VII 11, 6 *studentes in memoriam*[2]. Quam conformationem raro inveniri defendit Draeg. l. l. pag. 403, cui consentit Antibarb. II[6] pag. 553.

Accedamus nunc ad verba composita quae unum obiectum sibi adsciscunt idque dativi. Quorum numerus apud optimos scriptores in angustum et exiguum conclusus a posteris valde auctus est. Accedit quod hi sensum verbi translatum a sensu proprio conformatione minime discernunt. Sunt enim verba eiusmodi quae ab optimis scriptoribus, si sensu translato usurpentur, cum dativo coniungi soleant, sin sensu proprio, cum casu de praepositione quadam pendente.

Quam consuetudinem ne Lactantius quidem prorsus secutus est. Sed cum nonnunquam propius ad Ciceronis dicendi genus accesserit, ne iniuriam ei faciamus, de singulorum verborum eiusmodi usu Lactantiano per ordinem disseramus:

accedere proprie usurpatur: I 22, 17 *ad Iliensium litus accessit*; IV 2, 4 *ad Judaeos.* Minus Ciceronis nomine dignus est usu huius verbi translato, in quo Cicero praepositionem ‚ad' adhibere solet. Insunt autem verbo accedendi hae notiones:

appropinquare, adire: VII 16, 12 *ad oculos somnus;* V 19, 26; III 25, 9 *ad philosophiam;* I 23, 9; Epit. 33, 1 *ad veritatem* propius accedere; VII 7, 7 ad verum; 27, 1. Contra usum Ciceronis dicit: II 6, 68 *corruptibile incorrupto propinquare non potest id est propius accedere*; VI 7, 11 *dolor accesserit visceribus.*[3] — probare, assentiri: VI 21, 4 *ad religionem dei;*

---

[1] cfr. Roenschius, Itala pag. 440; Krebs-Schmalz, Antibarb. I[6] pag. 213.

[2] cfr. quae Brandtius ad hunc locum in apparatu critico animadvertit.

[3] Si de morbo vel affectu accedente agitur, verbum accedendi plerumque absolute usurpatur, raro quidem cum dativo personae coniunctum; cf. Sall. Iug. 44, 2 *Imperatori plus sollicitudinis ..... accedebat.*

III 14, 10; contra dativus exstat: II 3, 3 *alienis accedit erroribus;* III 13, 8 *veritati;* VII 1, 16; 17, 7, — acc. = addi: IV 22, 4 *si ad ea* (praecepta) *virtus accederet;* Epit. 46, 4 *his etiam illud accedit;* 66, 5; 54, 9. Notandum est hoc loco locutionem ‚accedere alicui rei' = ‚addi' non inveniri nisi in Epit. libro.

adhaerere: Op. 7, 4 *adhaerens pectori venter;* III 3, 4 *stellae utrumne ..... adhaereant caelo;* translate: I 20, 17 *mala bonis;* 15, 3; II 14, 12; V 22, 23 *religioni;* Epit. 23, 3. Cum Livius hanc conformationem saepius usurpet, Lactantius eum magis secutus esse videtur quam Ciceronem, qui huic verbo casum non adiungit (cf. Antib. I[6] 84).

adgaudere: IV 6, 8 *ego eram, cui adgaudebat.*

adfulgere inde a Livii aetate apud prosae orationis scriptores invenitur hoc modo usurpatum: (ratio) *quae illis si adfulsisset* (Lact. VII 5, 2).

adludere: III 10, 2 *aut homini adludunt aut suis.*

adridere: Ir. D. 8, 5 *ubicunque nobis latendi occasio adriserit;* cf. III 17, 36, absolute. Quod verbum translata notione usurpatum ‚günstig sein' poeticum sapit colorem.[1]

‚adsidere', ‚adsistere', ‚adstare' verbis dativus non adiungi solet nisi inest iis sensus translatus ut: VII 27, 11 *ille opulentus adveniet, cui adstabunt continentia, misericordia.* Sed verba adsidendi et adsistendi a Lactantio etiam sensu proprio cum dativo coniuncta exstant:

adsidere: I 10, 6 *adsidentem Priamo Helenam.*

adsistere: IV 27, 4 *cum enim quidam ministrorum nostri sacrificantibus dominis adsisterent.* Fortasse aliquis dicere possit, hoc loco ‚adsistere' habere vim adiuvandi, ut dativus iusto iure positus sit. Sed agitur hoc loco de ministris qui, cum religioni adhaererent christianae, nec contumeliis nec tormentis ut ‚manus operi impio' adhiberent cogi potuerint. Non adiumento fuisse dominis sacrificantibus, sed magnum impedimentum signo crucis fronti imposito illos adstantes attulisse Lactantius hoc loco docet. Contra huic verbo vis inest ministrandi I 7, 11; IV 26, 23.

---

[1] cf. Antibarb. I[6] pag. 182.

De verbis cum praepositione ‚cum' compositis paucis perorandum est, quoniam vel optimi scriptores nec sensus nec conformationes distingunt. Unius verbi cohaerendi, quod exstat apud Lactantium, alienam esse ab optimis hanc conformationem notandum est: II 9, 8 *proxima est et cohaeret orienti.*

Longius autem ab optimo dicendi genere discedit Lactantius usu verborum quae cum ‚in' praepositione composita sunt.

incubare: Op. 3, 7 *incubant ovis;* translate: V 5, 7 *absconditis;* VII 9, 1.

incumbere: II, 1, 3 *incumbere voluptatibus.*[1]

inesse a Lactantio plerumque cum dativo coniungitur (II 5, 15; 19; 36; III 8, 26; 10, 4; 17, 25; IV 26, 7; 27, 6; Epit. 23, 7; Ir. D. 7, 10; 10, 5; Opif. D. 10, 20; 11, 16;[2] 12, 6). Permultis locis pro composito simplex verbum ‚esse' et pro dativo ablativum de praepositione ‚in' pendentem adhibet (V 13, 5 cf. II 5, 19). Huic consuetudini optime convenit, quod et loco quodam[3] e Cicerone deprompto Lactantius dativum praefert et duobus locis[4] pro composito ‚inesse' Ciceronis codices Lactantii praebent simplex ‚esse'. Neque vero prorsus desunt exempla in quibus praepositio ‚in' repetita est, quam elocutionem ut adhiberet ratio quaedam eum impellit et ea quidem quae posita est in prima littera compluribus vocibus communi: Ir. D. 16, 5 *ideo et in ira ipsa inest gratificatio;* ratio gerundivi: IV 5, 5 *nec difficultas in his colligendis inest ulla.* Praeterea praepositionem repetere videtur, si pronomen relativum cum verbo ‚inesse' conformandum est, cf. II 8, 22 *ea vis in qua inest et providentia*; V 21, 8; VII 9, 8. Hunc usum Lactantii consideranti et cum Cicerone[5] comparanti, quippe qui uno loco verbum ‚inesse' cum dativo coniunctum adhibuerit idque eadem ratione concinnitatis perductus, qua Lactantius impulsus

---

[1] Hunc locum Kehreinius neglexisse videtur cum contendit l. c. pag. 14: ‚verba deinde ‚incedere' et ‚incumbere' contra aequalium rationem secundum Ciceronis et Lactantii dictionem cum praepositione ‚in', cui accusativus subiectus est, iuncta exstant'.

[2] Malim ‚ipsis' pro ‚in ipsis'; cf. codd. B V (ipsis), F (in ipsis).

[3] IV 28, 5 (cf. supra pag. 4).

[4] II 5, 8; III 29, 4 (cf. supra pag. 4).

[5] cf. Cic. Off. 1, 42, 151; cf. Antibarb. 1[6] pag. 668.

contra consuetudinem suam ‹inesse in c. abl.› elocutionem nonnullis locis praetulit, contrariis viis illi procedere mihi videntur.

‹inhaerere› verbo semper dativum subicit cf. I 1, 1; 23; IV 1, 4; VI 6, 6; 20, 27; Ir. D. 24, 7 (dat. gerund.); Epit. 51, 5 *aliquem imbecillum tabulae inhaerentem* (proprio sensu).

inhalare: Ir. 10, 20 *inhalare cerae.*

inludere:[1] V 9, 10 *corporibus;* cf. supra pag. 14.

inrepere: Epit. 23, 8 *inrepunt corporibus;* hoc loco excepto semper praepositionis usus exstat: V 21, 5 *in hominem;* Epit. 22, 4; 46, 7; Op. D. 1, 5.

insidēre: II 7, 10 *equis albis insidentes;* Epit. 51, 5.

[2]insidĕre: VI 20, 33 *ne quid vitiosum pectoribus insidat;* 21, 5 *animo;* II 4, 2 *aves simulacris.* — More Ciceronis dictum est: Ir. D. 10, 4 *alienis vestigiis videretur insistere.*

insultare: V 2, 2 *veritati;* 32, 2 *deo.* Quae conformatio non est Ciceronis[3], quippe qui aut praepositionem ‹in›, quam sequitur accusativus, aut solum accusativum adhibeat.

‹oblatrare› verbum cum dativo coniunctum non inveniri nisi apud Senecam (de ir. 3, 43) Draeg. I[2] pg. 418 contendit. Sed Lactantius utitur verbis Cypriani: V 4, 3 *oblatrantem et obstrepentem veritati* (Cypr. ad Demetr. c. 1). Neque autem Lactantius ipse hoc verbum ita usurpatum recepit, sed alio modo idem significat: VII 1, 16 *contra veritatem latrant.*

obversari verbi in usu quantum distet Lactantius a Cicerone, utriusque exemplum demonstret: Lact. V 9, 1 *quam (iustitiam)*

---

[1] Hoc loco addere mihi liceat verbum inlucescendi cum dativo coniunctum in additamento panegyrico (cf. supra pag. 5) I 1, 13 *dies orbi . . . . inluxisset.*

[2] de his verbis cf. pag. 14.

[3] Sane Draeg. l. l. pag. 417 attulit: Verr. 5 § 132 *num tibi insultare videor.* Sed cum totum Ciceronis locum inspexerim *(num tibi insultare in calamitate . . . . . videor),* num huc pertineat, valde dubito. Equidem dativum ‹tibi› ad vocem ‹videor› referre et pro ‹in calamitate› ‹in calamitatem› scribere malim. Nam ‹insultare in calamitatem› magis quadrat ad id quod dicit Cicero, quoniam non ‹tibi insultare› sed ‹in calamitatem insultare› est caput sententiae. Adde quod littera M locis eiusmodi non semel omittitur vel ex negligentia vel ex errore librarii. Neque neglegendum est, quod dativo usus omnis Ciceronianus huius verbi obstat.

obversantem oculis suis; cfr. II 7, 20; 22. Cic. dom. 141 res *publica . . . . . obversabatur ante oculos exstinctoris sui.*[1]

reluctari: VI 18, 24 *adfectibus*; 23, 13 *cupiditati*; III 11, 15.

renuntiandi verbum, quod apud optimos scriptores dativus personae sequitur accusativo rei addito vel simul audito, a Lactantio more scriptorum ecclesiasticorum cum dativo solo coniungitur ita ut significet ‚entsagen': I 1, 4 *voluptatibus*; IV 28, 1 *vitae.*

praevalere: Epit. 63, 2 *mala praevalent bonis.* Quo in usu Lactantius, quantum videre potui, singularis esse videtur.

His addam quod verba imminendi, impendendi apud Lactantium sequitur dativus his locis: VII 14, 15 *qualis exitus humanis rebus impendeat*; VII 15, 6; contra poetice dicitur: VII 16, 11 *super omnia metus semper impendens.*

Dativi usui tantum studebat, ut etiam verbo simplici pro composito usurpato eum subiceret: II 8, 68 *corruptibile incorrupto propinquare non potest*; Epit. 66, 1 *cum coeperit mundo finis ultimus propinquare.*

3. Dativus de adiectivis pendens apud poetas et scriptores, qui post Augusti aetatem fuerunt, latissime patet, cum Cicero et aequales saepius praepositiones adhibeant. Optimos secutus est Lactantius praepositionem ‚ad' anteponens in adiectivorum usu:

habilis: Opif. D. 10, 23 *ad usum*; inhabilis; Opif. D. 8, 8; IV 26, 33.

utilis: III 5, 1 *ad vitam*; Epit. 66, 4; inutilis: IV 17, 20.

Contra dativo favet saepius ab optimo dicendi genere discedens idque imprimis usu dativi gerund.:

idoneus: II 6, 13 *urbi condendae*; VII 1, 1 *fundamenta operi perferendo idonea*; Opif. 3, 1 *aeri tolerando aptus*; Opif. D. 7, 2 *generi ac loco*; II 5, 19 *tempori*; V 1, 27 *melioribus rebus*; contra Opif. 13, 4 *ad gradiendum.*

necessarius: III 24, 11 *praesenti operi*; Opif. 6, 6 *perfecto iam operi.* Praepositionem adhibet: I 4, 6.

intentus: I 3, 1 *universis*; VI 6, 9 *caelestibus bonis.* Praepositionem autem adhibet si rem, in quam intendi narratur,

[1] cf. Draeg. I² pag. 419 et Antib. II⁶ pag. 455.

non substantivo sed pronomine vel gerundivo exprimit: IV 1, 12 *in id ipsum*; Opif. D. 18, 7 *in ea*; VI 4, 20 *ad nocendum*; Opif. D. 16, 7 *ad cogitandum*. Adde VI 8, 5 *in caelum*.

inexorabilis, immitis: Epit. 60, 8 *inexorabilis est ei quem precantibus cernit immitem*.

ingratus: IV 3, 3 *caelestibus beneficiis*. Dativus fortasse statuendus est etiam Opif. D. 3, 3[1] *suae condicioni (s)*; cfr. II 5, 6 *adversus beneficia*; IV 11, 11 *in deum*.

superstes: IV 28, 13 parentibus suis. Adde adiectivum ‚familiaris'. Elocutio ‚familiare est alicui alqd = es ist etw. bei einem heimisch, gewöhnlich' inde a Plinii aetate saepius invenitur;[2] cfr. Lact. inst. VII 9, 4 *quia id illi familiare est quod facit vitam*; 9, 10.

Postremo exemplum adiectivi ‚adpositus' poetice usurpati proponam: III 17, 3 *adposita singulis quibusque moribus*.

b) Dativus laxe adiungitur verbo vel toti enuntiato.

1. Dativus commodi vel incommodi maxime adiungitur verbis transitivis, ut obiecto accusativi secundarium obiectum addatur. Quorum in usu numquid Lactantii sermo peculiare praebeat cum quaeramus, primum quidem notandum est haec duo verba ita usurpari ut accusativus obiecti audiendus sit solo dativo exstante:

prosecare, profundere: IV 27, 5 *quibus prosecant* (cf. III 20, 16 *Aesculapio gallum*; Epit. 18, 3 *Saturno . . . . . infantes prosecabant*).

Huius verbi usum consideranti mihi Brandtius non recte fecisse videtur, quod verbo profundendi accusativum obiecti adiciendum esse censuit loco II 14, 13 *his cotidie ⟨vina⟩ profundunt*. Confert sane ille vir VI 2, 1 *profundunt vina tamquam sitienti*. Sed cum verbo prosecandi uno loco accusativus obiecti desit altero adsit, id quod illi non mirum fuit, cur non similiter de simili verbo profundendi iudicandum sit, equidem non intellego, praesertim cum in omnibus codicibus II 14, 13 accusativus desit.

---

[1] codd. B V[1] condicionis, P condicionis (s. expunxit m. 1).

[2] cf. Antibarb. I[6] pag. 528.

Deinde dicendum est idque uberius de verbis transitivis cum praepositionibus compositis. De quibus multa apud scriptores optimos secundarium obiectum personae, perraro autem rei recipiunt. Ab hac consuetudine poetae et posteriores scriptores discesserunt ita ut non solum verbis ab optimis in usum receptis sed etiam aliis dativum vel personae vel rei nullo discrimine intercedente adiunxerint. Etiam Lactantium saepius morem Ciceronis transgressum huic dativo studuisse ut magis appareat, verba huiusmodi, quae apud eum cum dativo coniuncta inveniuntur, afferre mihi liceat secundum ordinem praepositionum:

adcensere: II 9, 5 *oriens deo adcensetur;* V 2, 15 *religioni cui fuerat accensus.*

adfigere: IV 18, 4[1] *cruci adfigi;* Epit. 40, 8; VI 9, 15 *praeccpta pectori.*

adgregare: IV 27, 15 *Iovem daemonibus adgregavit;* I 7, 9. Ita secundum Taciti, non Ciceronis morem dicitur (cf. Antibarb. I[6] pag. 84).

adhibere: Epit. 34, 11 *vis adhibenda naturae*; 49, 6 *vulneribus curam*; 61, 3 *corpori tormenta.* Exemplum praepositionis ‚ad' repetitae, qua Cicero saepius utitur, apud Lactantium non inveni.

adicere: I 20, 16 *huic sententiae adiecit.*

adiudicare: II 2, 24 *animam mortuis*; VII 1, 14 *animam voluptatibus.*

admiscere: VI 23, 2 *cupiditatem corporibus*; Opif. D. 7, 2.

adplicare: VI 23, 8 *mares maribus adplicuit.*

advocare: I 17, 15 *curando iuveni medicum.*

Verba cum praepositione ‚de' vel ‚ex' composita, quae, si inest iis vis servandi ex aliqua re vel movendi ab aliquo loco ablativum eadem vel simili praepositione repetita sibi adsciscunt apud optimos, cum dativo coniuncta exstant:

detrahere: IV 19, 6 *detraxerunt eum cruci*; Epit. 42, 1 *detractum patibulo corpus.*

---

[1] Iuvat hoc loco animadvertere quantum variandi studium insit Lactantio: IV 18, 9 *crucique adfixerunt;* 18, 18 *antequam figerent*; 26, 32 *suffixus;* 30, 7 *patibulo figeretur.*

extrahere: IV 14, 14 *extractum foco torrem*; (cf. Tac. a. 6, 23 *extractum custodiae iuvenem).*

eripere: IV 25, 8 *hominem morti*; VI 24, 10 *se malae servituti.*

His ordine praepositionum intermisso addere mihi liceat verba cum praepositione ‚sub' composita, quae eadem conformatione praedita idem significant:

subripere: VI 11, 7 *periculo.*

subtrahere: Opif. D. 2, 3 *subtrahant se periculis*; VII 27, 2 *subtractum his labibus terrae.* —

inferre: II 4, 10 *vasa templis.* Qui dativus contra optimos usurpatus est, cum propria loci notio retineatur.

infundere: V 8, 9 *praeceptorum caelestium salubritas humanis pectoribus infusa*; Epit. 22, 8; Opif. D. 16, 12; contra ‚in' praepositio exstat III 26, 10 *in hominis pectus infusa.*

ingerere: I 5, 2 *ingerentem se oculis divinam claritatem*; cf. Min. Fel. 17, 2 *ingerentem sese oculis et sensibus nostris caelestem claritatem*; Lact. VI 17, 3 *ventri et gulae pecuniam*; V 20, 5 *beneficium quod ingeritur recusanti.*

inicere: V 13, 13 *manum foco iniecit*; cf. Liv. II 12, 13 *foculo manum.*

inlidere: Opif. 10, 13 *nisi acumen suum palato inliserit (sc. lingua)*; contra: Opif. D. 15, 2 *(spiritus) cum in obstantia faucium fuerit inlisus.*

inmittere: V 11, 16 *dolores corporibus*; IV 27, 16 *errores hominibus*; Epit. 49, 6 *vulneribus tormenta*; VI 4, 20 *aliis cupiditatem.* Contra praepositionis usus exstat: II 10, 23 *incendium in orbem immisso.*

imponere: IV 26, 37 *signum liminibus*; V 20, 1 *animas . . . . . cremendas aris detestabilibus imponunt* (cfr. VI 24, 29 *in aram dei iustitia imponitur).*

inserere: II 3, 3 *pedem laqueo.*

insinuandi verbum sequitur semper dativus: IV 15, 8 *auribus auditum*; II 14, 14 *se corporibus*; IV 12, 1; V 21, 3; VII 12, 30. Accusativum vero praepositioni ‚in' subiectum sibi adsciscit ‚insinuari': III 18, 2; Opif. D. 17, 7.

intendere: IV 5, 4 *animum intendere intellegendis vocibus*; VII 27, 8; omisso obiecto ‚animum' VII 27, 11 *intendere iustitiae* (cf. V 22, 2 *quod intendimus*; 16, 1).

obtendere: IV 22, 10 *delictis suis excusationem carnis obtendere.*

obstringere: III 18, 6 *eidem sceleri obstrictus est*; Epit. 58, 4 *obstrictus est facinori.* Dativus his locis exstat pro ablativo.

subiugare: IV 10, 13 legi; 16; V 6, 2 *servitio*; VII 24, 4; Epit. 20, 2; 25, 1.

submittere: II 2, 22 *submittitis vos terrae.*

supponere: I 9, 11 *facem supposuit arsuro.*

superfundere: VI 18, 19 *igni aquam.*

supericere: VII 21, 3 *carnem homini.*

superponere: II 2, 22 *terram capitibus.*

Ex his exemplis adlatis cum, quotiescunque praepositionis usus exstat, commemorare non neglexerim,[1] Lactantium in verbis transitivis compositis conformandis perraro eandem vel similem praepositionem repetere liquido perviderí potest. Quin etiam tanto studio dativi usum amplectitur ut verba simplicia miscendi iungendi pro compositis dativo subiciat. Inveniuntur enim: II 7, 9 *iuncta fonti erat*; 9, 7; Epit. 28, 10 *honestatem virtuti copulavit*; VII 3, 4 *miscuerunt eum mundo i. e. operi suo.* Quo loco dativo usum esse Lactantium eo magis mirum videri potest, quod verbis suis illud Vergilianum subicit: *mens agitat molem et magno se corpore miscet.*

Nescio autem an dativus statuendus sit etiam V 17, 12 *(se alienis furoribus misceat)* et Opif. D. 16, 12 *(natura . . vivo et quasi ardente sensu membris omnibus misceatur).* In usu verbi iungendi sane hanc licentiam ita coërcet, ut id non nisi passive usurpatum cum dativo coniungat; cf. III 7, 7 *honestatem cum voluptatibus iunxerunt.* —

Denique, ut de hoc dativo dicendi finem faciamus, nonnulla exempla eius qui toti enuntiato adiunctus est, proponamus, in

[1] Notari autem hoc prorsus necesse est ut intellegatur quam falso Kehreinius contendat ‚Caecilium praeter unum Lactantium contra aequales solum optimos scriptores imitari ita ut eiusmodi verba, cum notionem praepositionis servent, eidem aut simili praepositioni subiciantur'. (cf. l. l. pg. 22.)

quibus sane nihil singulare deprehenditur: II 13, 12 *his sacrificia in aperto celebrabant*; III 19, 12 *si quid forte iis amaritudinis supervenit;* 29, 20 *venientem vitalibus suis ictum*; IV 12, 6 *cunctis gentibus salutifer venit*; V 8, 5 *mala omnibus rebus humanis cottidie ingravescere*; VII 12, 5 *prudenti ratio subrepsit.*

Accedamus nunc ad ea dativi genera quae affinitate quadam cum dativo commodi consociantur.

2. dativus energicus i. e. dativus qui pro genitivo de substantivo pendente usurpatur sive commodi sive aliqua eiusmodi ratione, ut minus alicuius quam alicui rem esse vel fieri intellegatur. imprimis sermoni poetarum et historicorum familiaris est.[1] Atque ne hic quidem Lactantius dativi studio abstinuit. Exstant enim:

IV 10, 1 *ut constitueret deo templum*; 14, 12 *successor Moysi fuit*; VI 12, 30 *feris in praedam*; VII 25, 7 *venisse iam finem rebus humanis*; VII 6, 1 *simus deo regnum*; 27, 16 *militiam deo militemus*; 15, 7 *quibus iniquitas et malitia ad summum gradum crevit*; Epit. 33, 10 *audacia malis crescit*; Opif. D. 11, 2 *receptaculum cibis*; 12, 17 *cui . . . mammae distenduntur*; Inst. VI 25, 13 *peccatis suis veniam precari* (cf. Cic. Ligar. 1 *impetrare veniam errati*); III 17, 35; 27, 11. Genitivus autem recipitur in hac locutione, si iam adest dativus personae: II 1, 6 *quam sibi veniam sperare possent impietatis suae.* His adiungi potest coniunctio pronominis possessivi et reflexivi cuius usu Lactantius Terentii imitatorem se praebet: III 28, 20 *suo sibi gladio* (cf. Ter. Ad. 958 *suo sibi gladio hunc iugulo)*; II 5, 6 *sua sibi opera.*

3. dativus iudicantis et absolutus.

Quo usus Lactantius ad Livii vel Taciti consuetudinem[2] dicendi proxime accessit; cf. III 29, 5 *sapienti falsum est.* Frequentius participium more Taciti omittitur: V 14, 18 *nemo deo pauper est* (cf. n. 17 *nemo apud eum servus est*; VI 12, 35 *apud deum dives*); Epit. 61, 7 *adulter est deo*; V 3, 23 *cui nives atramentum fuerunt.*

Dativus absolutus exstat: III 17, 5 *fugienti turbam solitudo laudatur*; Ir. D. 4, 5 *si precantibus surdus est, si colentibus caecus.*

---

[1] cf. Landgraf, Archiv. lexicogr. et gramm. lat. vol. VIII pag. 40 sq.

[2] cf. Kuehnerum, Ausführl. Gramm. der lat. Spr. § 76, 8.

4. Quod ad dativum qui dicitur auctoris attinet, ut de dativo cum gerundio vel cum gerundivo cuniuncto taceam, haec exempla sunt notabiliora apud Lactantium: VI 2, 16 *quibus non est veritas cognita*; VI 16, 5 *si libertas et salus civibus parta sit*; I 21, 10 *exsecrabile humano generi facinus*[1] (cf. VII 21, 2 *a solo deo tractabilis*); V 17, 14 *contemptus deo.*[2]

B. de dativo obiecti rei.

a) dativus adhibetur ad notionem finalem exprimendam. Huc autem pertinent primum dativi verbis ‚esse', ‚habere', ‚ducere' similibusque adiuncti. Neque ii qui apud Lactantium inveniuntur speciem peculiaris usus prae se ferunt. Verbo ‚esse' enim adiuncti sunt: *curae* (V 22, 13); *desiderio* (I 15, 30); *contumeliae, derisui, ludibrio* (IV 30, 6); *exemplo* (V 5, 9); *exitio* (I 18, 15); *cupiditati ac miraculo* (V 21, 10); *contemptui, odio* (VI 4, 10); *horrori, ornamento* (Opif. D. 10, 8); *praedae ac pabulo* (V 2, 5; cf. IV. 20, 9 *praeda et devoratio factus sum heredibus*); *saluti* (IV 26, 38); *terrori* (27, 1); *usui* (II 10, 1); — verbo habendi: *ludibrio* (I 20, 34); *usui* (VI 13, 14); *voluptati* (II 6, 5). Sane quos attuli non omnes apud optimos inveniuntur.

Prorsus autem ab optimo genere dicendi deflectit usus his dativis, qui habent propriam notionem finalem: VII 4, 10 *tutelae eius ac usibus data sunt*; 19, 9 *simulacra igni dabuntur*; Epit. 67, 1 *tradetur exustioni*; 2 *custodiae dabitur.* — Late patet apud eum etiam dativus gerundivi finalis, pro quo saepius accusativum gerundivi de praepositione ‚ad' pendentem vel enuntiatum finale exspectes; qui dativus apud scriptores[3] ecclesiasticos valde usitatus est. Exstant autem: I 1, 20 *cui adserendae . . . . septem volumina destinavimus.* 20, 35 *celebrandis Fornacalibus operari*;[4] II 14, 11 *perdendis hominibus operantur*;

[1] cf. Schmalzium, gramm. lat. pg. 426 (Iw. Muelleri Handbuch der kl. Altert.-W. II²): ‚nulli exorabilis = qui a nullo exoratur'.

[2] cf. Antibarb. I⁶ pag. 317 ‚contemptus = contemptibilis'.

[3] cf. Koffmane, Geschichte und Entwickelung des Kirchenlatein pag. 127; cf. etiam Cypriani index (edit. Hartelii).

[4] cf. Antibarb. II⁶ pag. 196.

II 3, 25 *cui explicandae libri servient*; VI 20, 24 *se liberis educandis sufficere posse.*

b) dativus qui dicitur praedicativus statuendus est: II 1, 17 *nobis proprie datum est caelum rigidis ac stantibus intueri.* Frequentius invenitur hic dativus nominis proprii locutioni ‚nomen esse' ‚nomen imponere' adiunctus: I 6, 3: *ut ei . . . Trismegisto cognomen imponeret*; 11, 3 *cui cognomen Agesilao fuit*; 11, 61 *cui nomen Urano fuit*; V 1, 22 *liber cui Octavio titulus est*; V 4, 3 *in eo libro cui Apologetico nomen est.*[1] Pro hoc dativo nominativus non invenitur nisi I 20, 37 *cui nomen est Terminus.* Sic etiam in hoc ultimo dativi genere, de quo disputatio fit, aliquid interest inter Ciceronem et Lactantium: cum Cicero[2] omnibus eiusmodi locis nominativum adhibeat exceptis locis pro Rosc. Am. 17 et Verr. 3, 31, Lactantii usus prorsus contrarius est.

De accusativi et dativi usu quaestione uberius instituta ad usum genitivi et ablativi pergens rem paucioribus verbis absolvere possum, quoniam vix ullus scriptor a licentia quadam alienus est neque quidquam aliud interest, nisi quod id, quod apud optimos scriptores insolentius invenitur, apud posteriores consuetudo esse videtur. Quam ob rem, ut de aliis taceam quae omnium usu frequentantur, illas Lactantii dicendi proprietates proponam quae notabiliores videntur.

III.

De Genitivo.

A. De genitivo cum substantivo vel adiectivo illius locum tenente coniuncto.

Ac primum quidem notandum est genitivum pronominis reflexivi sive obiectivi sive subiectivi tam late in Lactantii

---

[1] Sic cum codd. R S P V legendum censeo, non ut Brandtius cum cod. B Apologeticum' (cod. B: — ũ).

[2] cf. Draeg. Hist. Synt. I² § 193, 1.

operibus patere ut in Taciti et Senecae[1] iunioris scripta multam operam contulisse eum intellegatur. Genitivus autem objectivus exstat: I 1, 25 *ignoratio sui*; 15, 3 *magnum sui desiderium*; II 4, 20 *sui vindices*; 5, 41 *dominium sui*; IV 18, 5 *in defensionem sui* (cf. Tac. ann. 3, 67); V 17, 14 *custodiam sui*; 20, 9 *contemptum sui*; VI 18, 32 *sustentatio sui*; VII 5, 6 *ad contemplationem sui*; 5, 22 *aspectum sui*; 12, 17 *oblivionem sui*; 27 *de dissolutione sui*; Epit. 62, 1 *sui correctio*; 23, 8 *venerationem sui*; Ir. D. 23, 7 *sui emendatione.* Genitivus subiectivus statuendus est cum Draegero: II 5, 42 *in usum sui*; Opif. 2, 4 *ad tutelam sui*; quibus addam: III 9, 5 *si quis rationem sui nesciat*; V 5, 5 *de tutela sui*; 17, 18; 17, 22 *praesentiam sui fecit*; I 10, 7 *ad famam sui reliquit.* Pertinet huc etiam ‚nostri causa' pro ‚nostra causa': III 20, 12. Idem sane Cicero adhibet, sed eo tantum consilio ut alteri genitivo respondeat[2] (cf. Lael. 16, 57 ‚nostri causa . . . . . causa amicorum'). Adde quod genitivus invenitur qui est simul subiectivus et obiectivus: I 8, 7 *sine usu et opera feminae*; IV 16, 13 *a iustitiae notione atque operibus alieni.*

Dein genitivi, quem dicere solemus, quantitatis, qui frequentissime a Lactantio usurpatur, haec exempla notanda sunt: I 20, 8 *id muneris*; V 2, 10 *id operis*; 4, 1 *idem operis*; IV 27, 17 *per diversa regionum*; VII 3, 25 *plana camporum*; 24, 6 *in medio terrae*; 26, 3 *sub concavis terrae*; Opif. D. 16, 17 *palati concavo*; 15, 2 *cicutae concavo*; *in obstantia faucium.*

Iam vero, ut de genitivo qualitatis[3] hoc loco taceam, plus licentiae sibi concessit Lactantius usu genitivi partitivi de singulari numero adiectivi masc. gen. pendentis: III 12, 7 *philosophorum non obscurus Epicurus.* Neque vero licentiae Livii aut aliorum, qui nominibus propriis genitivum eiusmodi adiungunt, indulsit; legimus enim: III 18, 5 *ex Romanis Cato.* Minus autem bonam latinitatem sequitur cum loco genitivi partitivi appositionem ponit: IV 27, 4 *cum enim quidam ministrorum nostri.* ‚Nostri' non ad ‚ministrorum' sed ad ‚quidam' referendum est. Disserit enim hoc loco de paganorum ministris qui sint in numero

[1] cf. Draeg. Hist. Synt. I² pag. 470.

[2] cf. Kuehner. l. c. § 83 A. 6.

[3] cf. infra pg. 38 de ablativo qualitatis.

nostrum i. e. christianorum. — Neque desunt exempla praepositionum, quae pro genitivo partitivo adhibeantur:[1] I 3, 7 *pars exigua de toto*; III 14, 3 *partem laudat ex toto*; 19, 14 *de suo aliquid*; V 17, 21 *ne quid de innocentiae ratione minuatur*; VII 16, 14 *de cultoribus etiam dei duae partes*; VII 7, 2 *aliquid ex vero*. — Adde quod in locutione ‚ne quid deesset' dativum ponit, non genitivum a ‚quid' pendentem: VII 16, 11 *ne quid malis hominum deesset*. Idem Floro Historico proprium esse Egen[2] docuit.

Denique nonnulla genitivi appositionalis, qui dicitur. exempla proponam, quoniam huiusmodi coniunctio duorum substantivorum idem fere significantium speciem scriptoris ecclesiastici[3] prae se fert: I 1, 11 *decursis operibus actionum suarum*; I 22, 22 *religionem cultus sui seminavit*; II 16, 3 *ad imaginis sui formam;* IV 6, 2 *divini nominis appellatione dignatus est*; 18, 12 *oratio tantae affluentiae ubertate decurrens*; V 22, 4 *rerum prosperarum felicitate*; VI 18, 3 *praemium caelestis mercedis*; VII 1, 9 *sub visum oculorum venit* (cf. III 28, 16 *sub oculos venit)*; 22, 2 *sacramenti*[4] *divini mysterium*.

B. De Genitivo relationis ab adiectivis pendente.

Omissis illis adiectivis et participiis, quae non insolenter cum genitivo relationis conformantur, ea tantum proponam, quorum usum einsmodi Lactantius non ex Ciceronis operibus didicisse potest. Sunt autem haec:

fortis: III 29, 16 *perferendorum malorum*.

timidus: III 26, 6 *timidus doloris ac mortis* (cf. Hor. a. p. 28 *procellae*).

scius: II 14, 6 *peritos ac rerum scios* (cf. VII 7, 9 *veri peritus ac sciens.)*

nescius: Ir. D. 13, 18 *nescius rerum*; V 9, 9 *dei*. (cf. Verg. A. 10, 501.)

---

[1] Perverse igitur dicit Kehreinius: ‚Caecilius et Lactantius pro genitivo partitivo nunquam usurpant ‚de' praepositionem'. (cf. l. c. pg. 31.)

[2] cf. l. c. pg. 18.

[3] cf. Sittelium, die lok. Verschiedenh. der lat. Spr. pag. 92 sq.

[4] Hoc nomen significat Geheimnis'; cf. II 15, 2 *profani a sacramento veritatis*.

praescius: II 9, 11 *futurorum*; (cf. Verg. A. 6, 66 *praescia futuri.*); cf. IV 17, 12 *futura praesentiens.*

capax: II 1, 15 *rationis*; Opif. D. 11, 4 *aeris capax.*

potens: II 8, 21 *generandi*; V 21, 7 *rerum.*

profanus: VII 26, 8 *veri profanos.* (cf. II 15, 2 *profani a sacramento veritatis*; 16, 3 *a veritate.)*

Ex his alia primi poetae alia inde a Livii aetate prosae orationis scriptores cum hac conformatione praedita induxerunt (cf. Kuehner. l. c. II pag. 320 sq.) Unum ‚fortis' apud neminem ita usurpatum inveni. Adde: I 10, 1 *dignum honoris divini.* Ita invenitur sane apud Cic. ad Attic. 8, 15; sed hic usus poetis familiaris est.[1]

C. De genitivo verbis adiuncto.

Ad verba iudicandi Lactantius frequentius accusativum rei ponit quam genitivum, cf. V 2, 13 *falsitatem scripturae sacrae arguere*; Ir. 1, 6 *ut ceterorum argueret inscitiam*; 2, 4; Opif. D. 6, 1. Sed contra bonam consuetudinem in modum verbi iudicandi adhibet *castigare et redarguere:* VI 24, 6 *castigat se ipsum dementiae*; III 1, 15 *illos ignorantiae redarguemus*; Epit. 24, 4 *cosque stultitiae redarguit*; (cf. I 2, 4 *hominum ... redarguere mendacia).*

Denique cum in verborum neque affectuum neque commovendi usu quidquam singulare offendat, genitivus ex usu graeco positus commemorandus est qui exstat: Ir. D. 14, 3 *ut rerum omnium dominaretur* (cf. M. Fel. 12, 5 *vestrique dominantur)*[2]; contra IV 24, 13 *peccatum in me non dominatur.*

IV.

De Ablativo.

Etiam in hac quaestionis parte, quam ita instituemus, ut in singula ablativi genera inquiratur, ea tantum afferre satis erit, quae insolentius videntur esse dicta vel quibus quam late pateat huius casus usus apud Lactantium cognoscatur.

[1] cf. Roensch. Itala pg. 413.

[2] cf. Roensch. Itala pag. 438 et Sittel. l. c. pag. 113.

1. Qua in re cum ab ablativo instrumentali ordiamur, imprimis commemorandum est, praepositionem poni, ubi ablativi nudi usus sermoni optimo conveniens sit: IV 26, 37, *limina sua de cruore agni notant; signum de sanguine eius;* 15, 17, *duodecim cophini de residuis fragmentis impleti;* Jr. D. 15, 7 *ex incerto certum subvertere; de certis incerta firmare.* —

Lactantius verba includendi, mergendi nonnunquam ita usurpat, ut poetas imitatus esse videatur, apud quos his verbis frequentius ablativum adiungi simplicem quam a praepositione pendentem docet Draeg.,Hist. Synt. I ² § 231. : VII 12, 11 *animo tenebroso domicilio terrenae carnis inclusa;* Epit. 42, 1 *corpus monumento condiderunt;* I 11, 59 *amni quo mersus est;* VII 3, 8 *demersae fluctibus;* 6, 2 *luto caenove demerserunt.* Neque tamen Lactantium praepositionem respuere videmus: VII 2, 8; III 24, 7; Epit. 35, 4. — In usu verbi circumdandi offendit quod res ipsa, qua quis circumdat aliquid, non ablativo instrumenti subicitur sed in subiecto ponitur, ita ut modum verbi cingendi sequi videatur: V. 6, 7 *quem arma cingebant, quem ferri et gladiorum fulgor insuetus circumdabat;* VII 26, 1 *(populus) obsidebit et circumdabit civitatem* (cf. Tac. hist. 3, 63.).[1] Eandem rationem sequitur verbum obducendi: V 10, 11 *errorum nubes hominum pectora obduxit.* — Praepositionem praefert ablativo in verbo damnandi conformando: V 19, 1 *in supplicia;* VI 4, 6 *in poenam.*

De verbo diffidendi usu quid statuendum sit, non ut de confidendi (quod sequitur semper ablativus — III 14, 17; V 20, 9; 13, 14; Opif. 4, 19 — excepto pronominis reflexivi dativo II 7, 1) certa lege diiudicari potest, cum codices dubium relinquant: V 20, 2 [2] *quorum (deorum) potestate*; VII 1, 4 *caelesti mercede;* II 4, 22 [3] *de deorum potestate.* —

Inter verba copiae vel inopiae quae Lactantius cum ablativo coniunxit, nonnulla sunt poetici coloris: exuberare: IV 17, 19 *copia lactis exuberant;* — Jr. D. 13, 7 *arbusta pomis;* contra genitivus exstat Epit. 67, 5 *lactis et vini fontes exuberabunt.* Hoc

[1] cf. Antibarb. I⁶ pg. 254.

[2] ‚potestati S, forte recte' (Brandtius), de potestate V.

[3] Nescio an ex prima syllaba ‚deorum' illud ‚de' inlatum sit, ita ut tribus locis adlatis ablativus exstet.

autem loco genitivos a verbo, non a nomine pendere ex eo apparet, quod de miris rebus, quae regno iustorum constituto futurae sint, verba fiunt (cf. ib. *stillabunt mella de rupibus;* VII 24, 7 *flumina lacte inundabunt*).

florere; V 21, 6 *divitiis.*

inundare: VII 27, 7 *flumina lacte inundabunt* (cf. Virg. Aen. 10, 24 *inundant sanguine fossae);* transitive usurpatur: I 18, 10 *cruore campos inundaverit.*

manare: II 11,7 *lacte manavit.* (Liv. Plin. cf. Draeg. l. c. pag. 553.)

sudare: VII 24, 7 *melle sudabunt rupes.* (Lucretius[1], Livius, Verg.).

Quod ad adiectiva copiae attinet, in adiectivo ‚plenus' usurpando Lactantius ea lege tenetur, ut genitivum rarissime adhibeat — cuius inveni exempla quinque (I 16, 6; II 9, 22; Opif. 10, 26; 8, 16; Jr. D. 10, 19) — frequentissime autem ablativum ponat (cf. I 4, 1; 10, 11; III 11, 4; 11, 11; 12, 19; 19, 12; V 14, 18; 17, 16; 18, 1; VI 6, 17; VII 10, 10; Opif. 5, 8; Jr. D. 1, 6, alia.) Quae cum ita sint, hic non Ciceronis,[2] sed Livii imitator exsistit Lactantius.

His adiungam, quod in modum verbi spoliandi adhibetur: castrare: VI 15, 3 *rebusque natura insitis castrare hominem volunt.*

2. In usu ablativi causae nihil aliud mentione dignum est nisi quod ablativus ad causam exteriorem notandam usurpatur his locis: V 12, 7 *populus noster patitur omnia errantium pravitate;* Opif. D. 10, 17 *(aqua), ne tarditate ac mora refluat.*

3. Ablativi modi, qui inde a Livii aetate saepius attributo caret, haec sunt exempla Lactantiana: II 1, 10 *victum precibus exposcit;* VII 12, 11 *si tamen iuvenilis aetas virtute decursa est;* V 18, 14 *dominum fuga deseruit*; Opif. D. 3, 2 *fragilitatis suae condicionem ploratu ac fletibus ominari.* Frequentius ablativum huiusmodi praepositioni ‚in' subicit: I 17, 5 *in eo habitu;* 17, 8; Epit. 15, 2 *in ferae specie figurata;* VII 9, 17 *in humilitate vivere;*

---

[1] cf. Meissnerum, quaestiones ad usum casuum obliquorum Lucretianum pertinentes, Halis Sax. 1891, pg. 11.

[2] cf. Draeg. l. c. pg. 559.

22, 10 *in eodem sensu ac figura esse redituras*; IV 10, 1 *non in virtute angeli aut potestate caelesti, sed in figura hominis et condicione mortali*; cf. IV 16, 13 *cum quanta virtute et claritate filius dei venturus esset;* 12, 6 *deus ad homines in carne venturus.* Huic consuetudini, cuius auctor Livius[1] videtur esse, optime convenit, quod ei ablativo, qui nudus usurpatur more Ciceronis, Lactantius praepositionem adiungit: IV 21, 2 *in nomine magistri* (cf. 27, 2 *et nomine magistri*; hic exstat ablat. instr.). Prorsus autem desunt apud Ciceronem haec exempla Lactantiana: II 4, 36 *sub obtentu damnationis;* 6, 3 *sub obtentu deorum;* V 1, 14 *sub praetexto suavitatis.*

4. Ablativum qualitatis, quem optimi scriptores[2] genitivo eiusdem generis praeferunt, a Lactantio satis raro adhiberi tibi apparebit, cum libros eius vel leviter inspiciens genitivorum numerum multo maiorem esse inveneris. Equidem repperi hos ablativos: I 1, 1 *magno et excellenti ingenio viri;* III 19, 22; V 1, 25; I 2, 5 *nemo est tam feris moribus*; Ir. D. 17, 16 *sedato animo;* III 3, 9 (urbem) *lapideis moenibus, aedificiis sublimibus;* II 10, 1 *animalia dissimilibus formis.*

5. Loco ablativi limitationis, qui quidem exstat apud Lactantium (cf. I 23, 3; IV 13, 4; V 15, 3; Opif. 19, 6) ad eam rem significandam, in qua vis adiectivi apparet, praepositio adhibetur: IV 13, 1 *per omnia similis* (cf. III 18, 18 *(urbs) rebus omnibus praeter nomen ignota).* Optimo autem generi dicendi convenit, cum dicit Lactantius: Opif. D. 8, 6 *ad speciem nullus est perfectior numerus;* 8, 13 *quo nihil ad speciem foedius, ad usum utilius fieri potest.*

6. Nonnullis locis, ubi ablativum temporis exspectes, Lactantius praepositioni ‚in' ablativum subicit: II 10, 11 *in quo tempore;* IV 17, 9 *in novissimis diebus* (cf. I 11, 7 *primis temporibus)*: IV 16, 9 *in hieme;* 3, 23 *in principio;* 26, 1. Praeterea Lactantius praepositione ‚sub' utitur eodem modo quo Caesar et Livius (cf. Kuehner. l. l. § 108, 1 adn. 3.): IV 15, 22 *statimque sub verbo eius tranquillitas insecuta est;* VI 7, 7 *sub ipso fine;* VII 17, 5 *sub verbo eius;* IV 22, 5 *sub ipsa morte.* Ablativum antem ‚sacris'

[1] cf. Kuehnast. Liv. Synt.[2] 364.

[2] cf. Schmalzium, gramm. lat. (Iw. Mueller, Handb. d. klass. Alt.-W. II § 98 Anm. 3.)

(I 21, 26 *Vestalibus sacris)* similem in modum adhibet atque ablativum ‚ludis' (II 7, 20 *ludis Circensibus proximis)* optime cum Ciceronis usu consentientem. — Ad spatia, per quae quid fit, temporis circumscribenda fere ablativo utitur (I 21, 2; II 12, 13; VII 17, 8; Epit. 68, 3), pro quo accusativus ‚per' praepositioni subiectus invenitur varietatis causa usurpatus: IV 5, 6 — 7 *per annos — annis — per annos — annis.*

7. Ablativi separationis cum verbis coniuncti usus quam late pateat apud Lactantium ut cognoscatur, exempla afferre mihi liceat notabiliora.

cedere: V 5, 2 *terra.*

pellere: V 2, 3 *sedibus agrisque.*

moveri: VII 12, 8 *loco;* Opif. D. 3, 1.

deicere: III 17, 1 *deiectos nostro campo*; Epit. 52, 5 *qui nec tabula naufragum nec equo saucium deiecerit*; contra V 16, 11 *deiciet ex equo;* sed haec sunt verba Ciceronis (de repl. III 20, 30) quae Lactantius affert.

deturbare: Epit. 51, 5 *aut illum tabula aut hunc equo deturbabit.*

emigrare: V 12, 8 *sede.*

emittere: IV 13, 7 *manu emittitur filius;* VII 12, 10 *emissa anima corporis claustro;* 26, 1 *custodia.*

expellere: I 10, 10 *regno;* Ir. D. 9, 2 *suis finibus.*

procedere: IV 8, 7 *ore* (cf. n. 8 *ex ore;* n. 9 *de ore).*[1]

Verba ‚cedere, movere, pellere, expellere' eodem modo usurpat Cicero; ceterorum vero usu ad poetas vel ad scriptores historiarum accessisse Lactantium ex iis exemplis apparet quae Kuehnerus (l. l. 580, 4) attulit. Eosdem imitatus est Lactantius cum verbum abdicandi sic conformat: IV 20, 5 *abdicato et exheredato populo;* n. 11 *quos abdicavit* (cfr. III 10, 14 se *humanitate;* V 19, 3 *ratione);* Epit. 38, 7 *heredibus abdicatis.*

8. Pro ablativo comparationis non semel praepositioni ‚ab' ablativus subiectus apud scriptores invenitur, qui, cum ortu sint Afri, propinqua cognatione Hebraeorum genus dicendi contingunt.[2] Qui usus a Lactantio alienus non est; cf. I 13, 11 *Orpheus qui*

[1] statuendum est hoc loco studium variandi (cf. pg. 27).

[2] cf. Sittelium, l. l. pg. 92 sq.

a temporibus eius fuit recentior;[1] I 21, 16 *ab isto genere sacrorum non minoris insaniae iudicanda sunt publica illa sacra.*

Haec habui de Lactantii usu casuum quae dicerem. Atque ut ex iis quae attuli summam quodammodo efficiam, satis apparere puto Lactantium in iis rebus grammaticis, in quibus singuli scriptores maxime in diversas partes discedant, saepius eos, qui post Ciceronis tempora fuerunt, et poetas secutum esse idque imprimis cerni studio dativi usus et fastidio praepositionis in verbis compositis conformandis repetendae. Qua re cognita solvamus quaestionem quo iure appelletur Lactantius Cicero christianus. Duplici autem ratione responderi posse puto. Si scriptorem christianum, ut nomine Ciceronis christiani dignus sit, e vestigiis eius unquam excedere vetas, Lactantium iure illo nomine appellari quin negem facere non possum. Sin autem illo nomine lenius usus significare vis, Lactantium genere dicendi omnibus aequalibus antecellere aeque ac Ciceronem suis, non repugno quominus Ciceronem christianum eum appelles. Nam vel ex una syntaxis parte, in quam inquisivimus, intellegitur Lactantium licentiae aequalium et ita temperasse ut terminos a Cicerone constitutos non nimis transgressus sit, et tantum indulsisse quantum Cicero ipse, si aetate Lactantii floruisset, obsecutus esset. Sed, utcunque res se habet, summa huius quaestionis admoneri debemus, ne ad quaestionem de libri de M. P. auctore dissolvendam argumento, quod ad genus dicendi spectat, utamur, quoniam Lactantius non tam prope ad Ciceronis genus accessit, ut librum illum, quippe qui non Ciceronis imitatoris esse possit, ab eo abiudicari necesse sit, neque tam longe discessit ut, quod ad hanc rationem attinet, sine dubio attribuere possimus. Ceterum, cum nomen Ciceronis christiani illo modo circumscribo, Lactantio nihil iniuriae fieri a me arbitror. Nam, ut Madvigius princeps ille philologiae praeclare dicit, pertinet ad ipsam philologiae dignitatem prudenter magis quam indulgenter laudari antiquos scriptores'.[2]

---

[1] cf. Brandtium Zu den präpositionalen Umschreibungen des abl. comparationis (Arch. lexicogr. et gramm. lat. vol. VIII pg. 595).

[2] cf. praefatio in Cicer. de fin. pg. LIII.

QUO IURE LACTANTIUS APPELLETUR CICERO CHRISTIANUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

UNA CUM THESIBUS CONTROVERSIS

DIE XXIV. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCLXXXXVI

HORA XI

IN PUBLICO DEFENDET

HENRICUS LIMBERG

GUESTFALUS, PRESB. DIOEC. MONAST.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

DR. FR. HARTMANN, PRESB. DIOEC. MONAST., CAND. PHIL.
B. REHLING, PRESB. DIOEC. MONAST., CAND. PHIL.
ANT. SCHMEDDINGHOFF, PRAEFECT. IN COLLEG. LUDGER., CAND. PHIL.

MONASTERII GUESTF.
EX OFFICINA SOCIET. TYPOGRAPH. GUESTF.
MDCCCXCVI.

Theses controversae.

1. Lactantii Divin. inst. VI 15, 10 „*pro cupiditate substituunt (Stoici) voluntatem, quasi vero non multo sit praestabilius bonum cupere quam [malum] velle*“ obiectum „*malum*“, quod Brandtius uncis includit, retinendum esse contenderim.
2. Ratio praecedit sermonem, non sermo rationem.
3. Sil. Ital. Punic. IX 377 pro iis quae sunt in libris „*Nil decoris si assint*“ legendum propono.
4. Sil. Ital. Punic. VI 31 sq. sic propono: „*Sed, subitis victus telis, labentia membra Prostravit super atque intenta morte tegebat.*“
5. Lycurgi, quae dicuntur, leges non ab uno homine scriptas, sed decursu temporum e civitate Lacedaemoniorum condicione ortas esse contenderim.
6. Tribuni plebis inde ab a. 471 a. Chr. n. conciliis plebis tributis, non comitiis tributis creabantur.

Vita.

Natus sum Henricus Limberg Monasterii die XXIV. mens. Mart. a. 1870, patre Melchiore, matre Anna e gente Franke, quos integris adhuc viribus uti valde gaudeo.

Litterarum elementis imbutus per novem annos discipulus fui gymnasii Paulini Monasteriensis. Ubi a. 1888 maturitatis testimonium adeptus, cum eodem anno in numerum civium almae litterarum academiae Monasteriensis receptus essem, per octo semestria studiis philosophicis et theologicis vacavi. Quibus persolutis die XX. m. Aug. a. 1892 ab Illmo et Rmo D. Hermanno, episcopo Monasteriensi sacerdotio initiatus a vere a. 1892 usque ad ver a. 1895 scholas philologicas frequentavi primo Monasterii per tria semestria, tum bis senos menses Berolini, postremo Monasterii per unum semestre.

Docuerunt me theologiae studiosum viri doctissimi: Hagemann, Schwane p. m., Hartmann, Funke, Fell, Sdralek, Al. Schaefer, Bautz, B. Schaefer, Rappenhöner, Niehues, Nordhoff, Hase; disciplinae phil. doctoribus usus sum viris doctissimis Monasterii: Langen, Stahl, Mettlich; Berolini: Vahlen, Diels, Hübner, E. Schmidt, Kekulé, Kretschmer.

Quibus omnibus viris doctissimis, optime de me meritis, imprimis Langen, gratias ago quam maximas.